
egia multorum
in uno
Viriꝰ renouetur



JOSEPHO PRIMO
AUGUSTISSIMI CÆSARIS
LEOPOLDI FILIO
IN
ROMANI IMPERII REGEM
ELECTO ET CORONATO

VITAM, GLORIAM, FELICITATEM.

QUam Augustæ nuper ad hostilium Regionum terrorem, ſolatiumque patriæ, auguſta Octovirorum Imperii Principum corona per coronam unanimi ſuffragio in TUOS reclinavit humeros majeſtatem, tanta eſt; ut quia eidem paria afferre perquam arduum, gratulabundam à ſolio Tuo reverentiam, vel arcere, vel revocare TIMOR poſſet: niſi is, quo, ut omnibus tuis amabilem TE præſtas, ita ſingulos quoque eorundem benignè complecteris, AMOR erigeret animos, & invitaret. Suaviſſimo proinde hoc illicio ut ſe vidit animatum, ſic & piaculo ſe obnoxiũ crediſiſſet is, quo AUGUSTISSIMÆ DOMUI lubentes obſtringimur, affectus: niſi nos quoque, ubi orbis in plau-

ſus

ſus abit univerſus, noſtrum de gloria TUA ſenſum aliquo ſaltem feſtivæ gratulationis teſtimonio explicaremus. Hoc equidem & longè minus eſſe titulis, debitoque noſtro, & multùm infra eam, quâ felicibus auſpiciis ornatus es, dignitatem, ipſi profitemur. Quia tamen de Regibus, & quidem Sanctis, eſt argumentum; ut maximè Regium, & Regio affectu dignum; ſic & MAJESTATI TUÆ quàm accommodum, tam acceptum fore, confidimus. In Regio enim cùm TE paludamento, velut ſolem in Auroræ purpura exorientem veneramur; aliud menti inſinuat ſe noſtræ indumentum; de quo, & in quo, tanquam ſymbolo interna ſimul, & externa indolis præclaræ decora complexo, gloriæ TUÆ & nomini gratulemur. Splendidiorum ſiquidem ut elegantia veſtimentorum corporis tum artuum, tum colorum ſymmetriâ eminentioris venuſtatem, etiam operiendo, clariorem reddit; ita præſtantior virtutum illuſtriorum ornatus animo ad magna nato, interiores etiam aperiendo dotes, gratiam addit omnino ſingularem. Vidit hoc utrumque, ac verò etiam ſuſpexit oculatior electi quondam populi vetuſtas in JOSEPHO magno Magni Patriarchæ Jacobi filio: quando & veſtis illi non vulgari arte contexta, & virtus induſtriâ præcellente concinnata ſpectantium addixit oculos, ac mentes. In tunica namque ſua, quæ pri-

primum innocentiæ florem in ætate adhuc tenera præstantiori formæ Sociatum commendabat; pulcherrimè prælusit eximio virtutum supremo etiam capite dignissimarum ornatui, quo in Ægyptio deinde solio clarissimus, & soli Regnum gubernanti secundus affulsit. Hujus igitur Principis non minùs omine, quàm nomine, memorandi POLYMITAM damus; quâ ut Paterna benevolentia adolescenti gratiosissimo gratiam auxit; sic DIVINA quoque PROVIDENTIA quasi typo præmonstravit sive dotes, sive laudes inter Sceptra quondam juveni enascituras. Erat enim vestis illa, ut symmachus, Vatablus, diversique sacrarum paginarum interpretes notavêre, & artificioso liciorum contextu, & pulcherrimâ colorum sibi colludentium varietate, & elegantissimis acûs phrygiæ picturis, atque figuris ad singulare oculorum illicium elaborata. Translato autem ad sublimiora sensu, ut Rupertus ac Philo, & cum his alii Doctores voluêre, multiformem Principis solertiam, prudentiã, virtutem, quâ conspicuos esse decet Rectores populorum, symbolica velut imago quàm scitissimè referebat, memoriæque commendabat. Et verò eâ felicitate respondit res figuræ in clarissimo Memphitici postmodum Regni sidere; ut vaticinium certissima veritate nixum, eidemque POLYMITÆ meliùs, quàm cortinæ Delphicæ, intextum fuisse videre-

)(dere-

deretur. Ubi enim factus & ipse Vates, in Sceptri socium assumptus est à Pharaone; tantâ illico solertiâ, tantâ prudentiâ, tantâ virtute Regiones, quibus præerat, omnes & implevit, & recreavit; ut quasi capiendis ejusmodi laudibus angustiores forent, ad exteras quoque nationes, accrescente nomini gloriâ, easdem evulgarent. Jucundissima verò tantiplausûs recordatio cùm digito, SERENISSIME REX, intento ætatis TUÆ, indolisque florem & nomini respondentem, & summa quæque promittentem proponit oculis; animos quoq; eâ, quâ par est, sinceritate addictos TIBI, confirmat in spe de TE concepta: fore, ut & TUÆ MAJESTATI tum felicitas, tum gloria, cum virtutis incremento identidē amplificentur. Rem in fronte libelli hujus expressam ære, velut in compendio inspice. Excubat in cœli atriis DIVINA PROVIDENTIA, quidquid splendidum, magnificumque divite concludit orbis gremio, in Regii hujus ornatús Majestatem ordinatura. Hujus imperio coronarum vetustas ad Vulcani resolvitur incendia; ut nova inde auri fila Regio accessura splendori venusta glomeret Pandora. Exspoliat studiosa Charitum trias pretiosas bombycum exuvias, quarum incolæ suo soluti ovo, veluti tot coronati honoris Tui præcones, per aëreas regiones innocuis applaudunt alis. Affundunt Napææ selectas Veris delicias: ut amœnâ

flo-

florum gratiâ gratiæ ſerviant augendæ; felicitatemque TUAM perpetuo flore perennaturam augurentur. Complures Oreadum turba defert adamantes: ut, dum nobiliore gemmarum ſorte MAJESTATEM TUAM extollere nititur; Martium, & vinci, frangique neſcium tibi robur advoveat. Sed & peregrinæ Euxino etiam è ponto Nymphæ ſua ambiunt honori ſacrare Tuo munera: dum propinant fœcunda Margaritis conchylia; ſive ut pretium adjiciant operi; ſive ut futurum TE ſibi Dominum depoſcant, ac venerentur. Deferuntur autem hæc Minervæ ad elaborandam GLORIÆ TUÆ POLYMITAM artem ſuam exerenti; & ne quid invidiæ virus afferre poſsit impedimenti, devictam ſub pedibus Arachnen triumphanti. Ubi & porta reſpicit portam. Unde coronæ TIBI veterum plures, ut optamus, & ſperamus, acceſſuræ, & lauri oleis reſpondent: ut & virtus, & gloria TUA ab Occidente in Orientem, ad ſolatia tuorum, & publica Orbis emolumenta, tam bello, quàm pace proferatur.

In hac igitur POLYMITA, ut mentem noſtram aperiamus; brevi obſequioſæ gratulationis compendio exhibemus VIRTUTES REGIAS: quas hæreditario velut jure, indolique inſitas accepiſti, Materno cum lacte imbibiſti, in conſortio AUGUSTISSIMO ſolerter addidiciſti, induſtriâ ætatem ſuperante nutriviſti; ac demum gratiâ de cœlis ad

futu-

futurâ perduces ad coronidem, feliciterque coronabis, ut feliciùs inde coroneris. Duodenos MAJESTATI TUÆ proponimus REGES non tantū rebus præclarè gestis insignes, verùm etiam electos è multis, etiam optimis, imò & sanctorum Albo Sententiâ Vaticanæ Sedis insertos, præterea verò etiam, si non omnes, potiore saltem numero, AUGUSTISSIMI SANGUINIS TUI consortione claros, atque adeò ut Tuos, sic vel maximè imitandos. Horum autem vitam, dum succincto tantùm stylo non tam describimus, quàm reteximus; potiores quidem, quibus excelluêre, laudes memorantur; singulæ tamen in singulis eminentiores, velut è cœtu sevocatæ, statuuntur in alto; ut harum duodenâ ritè collatâ, quam volumus, emicet virtutum Regiarum Symmetria in unum, absolutumque ornatum animi coronis nati concinnata.

Cujus quidem duodenæ præstantiam ubi adjecta Symbola, encomiaque sub involucro paucis explicant; clarissima CORONATORUM CAPITUM exempla multis, & apertè commendant: ut nempe REGIA MULTORUM VIRTUS RENOVETUR IN UNO. Neque verò aut fatum tulit hoc, aut casus, ut numero duodenario rem centenario & majorem, & graviorem definiremus. Imò etiam fausti in argumentum ominis hunc Regiarum virtutum, idearumque numerum totidem, quorum

Ca-

Caput es, Regna ſuaſiſſe, ætatis Tuæ anni poſtulâſſe, ipſumque cœlum, velut oraculo, ſuggeſsiſſe videbitur eundem penitiùs, & accuratiùs inſpecturo. Siquidem hic ipſe numerus eſt olim Jovi, ſupremo ſcilicet Regi, dicatus à veteribus; eò, quòd ejuſdem poteſtate, atque gubernatione crederent ſolis curſum duodecim menſium intervallo, totidemque Zodiaci ſignorum tranſitu, in communia mundi commoda, feliciſsimo quaſi circulo circumſcriptum. Ut vel ideo tum auſpicatus, tum Regius haberetur; quia Divinus, ac Summæ Numinis Maximi Providentiæ in orbis moderatione cum primis uſitatus. Unde & Augustus Cæsar animo, ut erat, liberaliore lætus, hoc ipſo numero convivas adhibuit Deorum, Dearumque perſonam ſuſtinentes: ut vel hac ratione propitium Imperio ſuo Cœlum redderet, Fortunamque faventem devinciret. Verùm, ne commentis fabulas redolentibus niti ſpes noſtra videatur: Deus ipſe electum ſibi populum duodecim tribubus diſtinxit; poſt duodecim in deſerto ſtationes, latis legibus inſtruxit; duodecim in Elim & fontium, & palmarum inventione recreavit. Sed & Apostolos, futuros nempe Filii Sui per orbem Legatos, primos item Sacræ reipublicæ Principes, venturique demum Judicis

ASSESSORES, in Sedibus eodem numero constitutis collocandos, nec plures, nec pauciores voluit esse duodenis. Denique gemmea supernæ, æternæque Civitatis fundamenta, stadia murorum longitudinem circumscribentia, portas eorum ambitum interstinguentes, ANGELOS iisdem assistentes, milliaque Signatorum illic INDIGETUM duodenario hoc numero sapientissimè, sanctissimeque definivit.

Cum duodenis itaque, quos ex eadem civitate BEATOS adducimus in hoc theatrũ, REGIBUS, adfavebunt utique MAJESTATI TUÆ, ut REGI APOSTOLICO APOSTOLI, ut ANGELICO ANGELI, ut JUSTO JUSTI: quò faciliùs Regias eodem numero virtutes duodenni, quâ flores, ætate, complectaris, & ad optatissimam tuorum gubernationem perficias, in gradu etiam eminentiore: quo in terris agenti coronæ duodenis duodenæ feliciter accedant; & in cœlis olim beato plures in una conferantur.

Atque hoc est, quod in POLYMITA honoribus TUIS dicata voluimus; in virtutibus autem eidem responsuris, & felicitati TUÆ servituris gratulamur eo voto; ut omnium TIBI obstrictorum sensa nostris accedant affectibus: quibus omnia TIBI fausta desideramus.

Cætera dum gratulatoriis hisce votis preces jungi-


gimus; vive SERENISSIME REX, & vale in canos etiam annos INCOLUMIS, FELIX, GLORIOSUS. Cumque tenue hoc opuſculum benigno digna-ris oculo; affectui ejuſdem Authori fave, & fove
faVsta, festaqVe IosephI
VIrgIneæ, DeIparæqVe MatrIs
VIrgIneI sponsI LVCe.

SERENISSIMÆ MAJE-
STATI TUÆ

Demiſſiſſimè devotum

COLLEGIUM SOCIETATIS
JESU GRÆCENSE.

S. HENRICUS ROMANORUM IMPERATOR Clementiâ Illustris.



PRimum in HENRICO SECUNDO virtutis decus
cælo, an mundo, imò & mundo, dedit Bavaria.
Et ita dedit, ut fæcundam se & in hoc probaret matrem,
& nutricem sanctiorum animorum.
Dedit etiam suis majorem Majoribus,
& quamvis multarum ab aliis laudum hæredem,
plurium tamen in aliis authorem:
ut compendio multa daret in uno bona.
Optimorum igitur parentum soboles melior
avitæ virtutis Patrimonium,
quod accepit amplissimum,
auctius etiam ad posteros transmisit.
Sive ne, si non cumulâsset, videretur decoxisse;
Cùm, ut sacrum habet axioma, in bono non progredi sit regredi:
sive ut tot habiturus hæredes,
Quot ex eadem SERENISSIMA DOMO PRINCIPES;
industriâ rectè providâ relinqueret thesaurum
tanto numero suffecturum:
adeoque ex uno in plura gazophylacia distribuendum.
Et verò divisus ille hactenus in omnes liberali manu,
ut bona cujusque voluntas id ferebat,
ditavit singulos abundè:
nescias, majore HENRICI gloria,
an hæredum felicitate:
inclytæ certè stirpis laude utrinque immortali.
Quæ AUSTRIACO præsertim insita stirpi,
nunquam non vernat spirante pietatem gratia,
vel in autumno, etiam adultiore:
quin & sub bruma semper florida, & æstiva
Maturos virtutum fructus offert.
Nec ex hac felici arbore
uno avulso, deficit alter aureus:
imò & in plures proficit quandoque etiam unus.

Quia

Quia perenni, & felici serie
succrescunt sibi Principes
non boni tantùm,
sed, & frequenter optimi.
Ex radice tam fæcundæ stirpis
pullulavit & HENRICUS iste
indolis laudatissimæ surculus
inter primos memorandus.
Ut cui aurea Imperii poma sponte accrescerent:
unde plura deind e viridaria ditescerent,
in publica Christianæ rei emolumenta.
Qui & ipse fructus ferret
semper suavissimos, & mitissimos:
in quos vel hostium impacti aliquando dentes
obstupescerent quidem velut attoniti,
sed nimiam cum dulcedine bonitatem.
Quæ vitiato nonnunquam etiam palato solet arridere.
Nec verò assiduam sua defecit laus culturam:
cujus beneficio tenella ut plurimùm germina
plurimùm promovent ad ubertatem.
Cælorum hæc munere ei obtigit â Wolffgango,
Antistite inter prima Ecclesiæ lumina clarissimo:
ut Sanctos nempe Principes â sanctis
decet, & expedit institui Magistris.
Hujus curâ in eam profecit virtutis sublimitatem,
quâ redditus terris major
ex domestico seu viridario, seu topiario
transplantari meruit in paradisum:
ut altiores inter cedros emineret:
& medullam virtutis suæ præberet Aquilis
ad seros etiam posteros deferendam.
Scirpiculâ cultoris hujus admotâ,
spuria omnis vitiorum propago,
ubi vix se insinuâsset,
illico succisa procubuit in herba velut ipsa, ac radice.
Industriâ sanè felicissimâ:
ne temerè adnata stirpi
genuinarum frondium imitatione adolesceret,
serò, ut fieri sæpius amat, postliminio deprehendenda:
& meliorem succum damno depasta irreparabili,
tum demum notaretur adesse primùm,
cùm vix occurrente remedio obesse resciretur.
Fortunatissime Principum!
cui in illo ætatis flexu,

ubi boni, malique ita confusi aditus;
ut ægrè discrimen sentias, nisi in egressu;
tam felix obtigit Mercurius.
Cujus ductu in ipso quasi bivio Herculis,
non citiùs didicisti vivere, quàm vivere bene,
vix terris editus, & egressus cunis,
jam cœlo feliciter auctoratus.
Boni Numinis hæc fuit solicitudo:
ut novo huic Æacidi, ad majora nempe nato,
melior provideretur Chiron in Wolffgango,
Magister fortitudinis.
Quæ Trojam olim alteram non perderet,
Sed majore gloria servaret.
Cujus operâ non medullis jam leonum,
sed exquisitis Lupi, quàm Germani, tam candidi
servando huic agno vel maximè servientibus,
& sacris omnino visceribus,
hoc est, Christianæ sapientiæ ac virtutis lacte,
etiam ultra quinquennium nutritus,
nil mirum, si tam & mansuetus evasit, & robustus:
ut virtute leonem agno sociante,
hoc est, CLEMENTIA fortitudinem temperante,
seipsum victor triumpharet.
Deciduæ verò hujus lactis stillæ
signârunt novam virtutis galaxiam:
quam sequentium sæculorum ingressuri Principes,
rectiùs, ac in veteri illa lactis via,
certum in cœlos iter, & meliùs lactati facilè tenebunt.
At HENRICI pueritia præclarissimis imbuta seminibus
non potuit non adolescere in segetem
& uberem, & optimæ frugis matrem.
Nempe ver est vitæ pueritia:
inde & juventutis adultæ messis,
& virilium autumnus annorum pendet.
Malum hic omen crede:
si impingas in ipso limine:
ne dicam, prolabaris.
Ita namque reliquum vitæ iter vix inoffenso decurres pede:
tantoque gravior metuendus erit sæpe lapsus;
quantò longiore abieris viâ.
Quare & imperiali admotus fastigio HENRICUS
â seipso minimè degeneravit in alto:
dum virtuti rectæque rationi,
tanquam feliciori Ariadnæ,

por-

porrecta semel manu permansit subjectissimus ad nutum.
Flexuram, ad quam in surculo eruditus fuerat,
non dimittens, etiam in arbore jam grandiore,
dignissimum se testatus est imperio orbis,
vel ipsa hac subjectione major, & eminentior.
Et Imperium quidem septemvirorum suffragio delatum
primùm in HENRICO ambire didicit,
semper hactenus ambitum,
etiam extra ambitum Imperii,
plurimasque per ambages.
Bono videlicet omine:
ubi purpura virtutis flore candidata
virtutem ut candidam, sic candidatam sequitur:
ut adjecto rubore candorem ornet ampliùs.
Ottonis hic tertii placet consilium:
Qui summam potestatem successioni sanguinis ereptam,
posthac in meritorum jura voluit concedere:
SEPTEMVIRUM SENATU ritè constituto.
Qui consilio reipublicæ servituro Principem legeret,
â quo dignitas ornaretur;
non qui solùm inclaresceret â dignitate.
Idque secundissimis omnino auspiciis:
dum prima vota in sanctum hunc Cæsarem inciderunt.
Ut præsagam Ottonis mentem fuisse dicas:
qui Imperium liberæ obnoxium electioni fecit;
ut optimo, & optimè merito deferretur.
Quò nempe faciliùs ex Capite in membra virtus dimanaret:
& ex membrorum symmetria in Caput gloria redundaret.
Nisi potiùs ea fuit Numinis providentia
hoc institutum hoc statuto volentis comprobare:
ut quemadmodum hæreditarium priùs Imperium â sancto duxit exordia;
ita cæptum ab electione sancto statim Capite inauguraretur.
Et verò melioribus etiam fatis:
dum illud â sancto Auspice
degeneravit in posteros deinde quosdam
sanguinis quidem, non virtutis tamen hæredes:
adeoque inter præcocia hortorum germina
vel in juventa effætum consenuit.
Istud verò postea æquo electionis arbitrio,
quod suprema sibi diphthera substituerat;
ut felicissima sorte deflexit in illos,
quibus pro hæreditate virtus est;
sic in una eorundem successione perennat, & perennabit,
etiam sine hæreditario jure perpetuum.

Quando-

Quandoquidem & virtus jure suo perpetua est, & æterna,
adeóque ipsa vetustate & fit illustrior, & roboratur.
Idque præsertim istis in avitam hanc virtutem successuris ita;
ut stante etiam integra electionis libertate,
Imperium transiturum esset in hæreditatem:
non suâ minùs, quàm eorundem felicitate.
IMPERATORIA cumprimis CLEMENTIA,
ut sidere primæ magnitudinis non postremo,
prælusisse, & præluxisse credas HENRICUM:
cui mitem esse, inter alia virtutum decora,
prima regnandi lex, & lux erat:
nec aliud fixius hærebat animo documentum:
quàm optimum officii magistrum esse amorem,
pessimum deficiente altero, timorem.
Quod quidem in hoc Principe videri possit minùs admirandum:
dum naturæ succurrit institutio;
ut mansuetudo utriúsque alimento nutriretur.
Quî enim ex Christiani illius Senecæ,
Wolffgangi nempe Sancti Schola,
prodire potuit alius, quàm omnino alius â Nerone?
Quo quidem HENRICUS fuit melior, etiam optimo;
& in ipso quasi tirocinio Magister.
Optabat enim & iste in uno capite multa:
sed ut alioqui fortè peritura conservaret.
Ferrum ergo nunquam strinxit,
ne in hostes quidem, nisi Ecclesiæ;
cujus vel paci asserendæ,
vel finibus proferendis bella gessit.
Ex qua tam bona bellorum semente,
dum largo cœlum rore adfaveret;
non potuit nisi larga gloriæ messis germinare.
Illud verò inter agnatas rosæ spinas mirum;
Principem ad pacis artes natum,
& â CLEMENTIA singulari commendatum,
frequentioribus fuisse turbis agitatum.
Sive ne deesset ansa statuendis in victos CLEMENTIÆ,
alioqui fortè minùs eminentis, ac spectandæ, trophæis:
Sive ne sine adversario, ut pronum est, languesceret virtus:
quæ naturâ suâ gaudet arduis, & animatur.
Quando, ut ventis proceræ arbores,
sic infestis casibus egregiæ mentes
plurimùm & roborantur, & proficiunt ad sublimitatem.
Italia fuit illi amplior, quàm principio videri poterat,
certaminum juxta, palmarúmque campus:

utpote quæ non sæpius dimisit victorem,
quàm exceperit armatum.
Inde lauros in Germaniam transtulit;
felicissimáque insitione propagavit,
illic etiam, ubi crescere non solent.
Ticini quidem aliquid in eum sibi licere voluit
turbatis vecta curulibus Fortuna:
dum altero imminuit pede,
rotâ quasi suâ pressum.
Sed & hoc astu non effecit aliud;
quàm ut, qui celeriùs jam non posset currere,
aucto virtutis cursu expeditior,
deinceps ad victorias etiam volaret.
Quanquam & alterum ibidem accepit vulnus,
nec paulò gravius, quia pietati suæ inflictum,
virtutis tamen integritati peropportunum,
multorúmque bono saluberrimum.
Exorto námque militem inter, ac cives dissidio,
& istis crudeli deletis excidio:
uti omnium vulnera unus,
& magis fortè, quàm omnes unà, doluit
OPTIMUS HIC IMPERATOR;
ita doluit, ut unum putes omnia excepisse.
Nec dubitâsset Agesilaus iste melior,
ut animo erat ad miserandum pronissimo,
propriâ eadem obligare purpurâ;
si etiamnum sanandi locus, modúsque superfuisset.
At quem benignitatis prodigendæ campum negavit Insubria,
uberrimum obtulit Apulia:
urbe Trojâ diuturno tandem obsidio gloriosè subactâ.
Ubi in pœnam insolentioris contumaciæ,
ut ferebat belli alea, & consuetudo,
omnes incolæ Martis sacrificio destinabantur,
digna Mexicanis forsan aris hecatombe.
Felici tamen commentóne, an invento, discussum est periculum,
apud eum, cujus animo CLEMEMTIA imperabat, Imperatorem.
Quando puerorum agmen portis effusum
triariorum partes adeò feliciter egit:
ut fæcunda lacrymis oratione,
id est, quò mollioribus,
eò potentioribus, in re desperata armis,
læsam obstinatione CLEMENTIAM suavissimè mitigavit.
Ut nimirum huic Trojæ alioqui subvertendæ
saluti fuerit,

Quæ quondam perniciem advexerat alteri,
ſimplex ætas.
Adeò non tantùm invitæ grues
ſed & aquilæ quandóque volentes
vincuntur à pumilionibus:
ut ex parvulis major ſit gloria triumphis.
Ita námque triumphante Romana in pompa Auguſto,
quin & ſeipſo major abſceſſit CLEMENTISSIMUS IMPERATOR;
ubi grandi puſillorum innocentiæ ceſſit:
ut ſuæ ſplendorem redderet eò luculentiorem;
dum bello victor vinci ſe ab imbellibus pateretur.
Cujus equidem CLEMENTIÆ ſpeciem
quia teneris mentibus quàm ſuaviſſimè impreſſam,
nulla non ætas
ita & vivaci, & glorioſâ continebit memoriâ;
ut obliterari nullo unquam temporis lapſu poſſit.
Atque adeò Antæi quoquè hujus magnitudinem
ſic à parvulis dimenſam,
ex facti unius ungue
omnis, & ſera poſteritas
cum laude memorabit, & venerabitur.
Sed ut cuilibet Andabatarum generi,
adeóque maximè cæco Cupidini infenſus erat;
ita amorem molliorem non meliore habuit loco, quàm furorem:
utpote quem non admiſit, niſi oculatum,
hoc eſt, ſanctum, & intemeratum:
caſtiſſimus juxta, ac clementiſſimus iſte Princeps.
Hinc nec conjugii alterius lege ſtringi voluit,
quàm virginalis:
in quo & virgo junctus virgini,
& cælebs in thalamo,
liberos non genuit, niſi cælo.
Reges hi fuêre gemini,
Alter Hungariæ, alter Boemiæ.
Quibus pro hæreditate data veræ fidei lux, & virtus
poſt ſera etiam ſæcula in utróque regno perennat;
& quidem feliciùs, quàm gentilium lampades,
in poſteris inter ſtellas numerandis.
Nec unquam facilè deſinet:
quia AUSTRIACO tranſcripta FIRMAMENTO.
Fortunatiſſimus omnino parens:
qui nepotes nactus non ſanguinis,
verùm, quod ſolatii eſt ſolidioris argumentum,
religionis, & ſanctioris vitæ.

Secu-

Securiſſimus inſuper in his de perpetuitate generis:
quod firmatum ſit in illa DOMO,
quæ fundata ſuper petram
ſemper ſtat, ſemper viget inconcuſſa,
Porro de clariſſima in Superos pietate quid attinet dicere?
quando vel ſilentibus in terra cunctis,
templorum, quæ eorundem honori pro cælo multa ſtruxit,
quàm dura, tam ponderoſa voce,
etiamnum hodie loquuntur marmora.
Quibus inciſum HENRICI cum laudibus nomen
feliciùs, quàm dedicatum in Capitolio,
glorioſiſſimam feret æternitatem.
Idque eò ampliùs, & beatiùs illic:
ubi coronata jam cum pietate virtus
præmio fruitur æterno.



TEM-

TEMPERAT ÆSTUM, ET ADAUGET AMORES.



Quod ſoli Venus eſt, hoc eſt clementia Regi:
Temperat illa æſtum, juſtitiæ iſta modum.
Hinc veneranda ſui Majeſtas auget amorem;
Inde ſolet mundo gratior eſſe dies.
Sic jubare in plaus⁹ animas tibi Phœbe columbas;
Sic Princeps populi corda favore trahis.

Encomium exegeticum Regiæ clementiæ.

NOn minæ, nec vis truculenta, nec quam
Obsidet sævus rigor, & ferarum
Dira pœnarum series tyrannis,
Regna tuentur.

Pessimus certæ fidei magister
Est timor: mentes nec ahena vincunt
Claustra, nec longum populi favorem
Vincula servant.

Quisquis augusta diadema fronte
Gestat, & gentes moderatur æqua
Lege subjectas, dominísque mundum
Frænat habenis;

Ne velit vulgo potiùs timeri,
Aut metum regni statuisse fulcrum:
Tutiùs lato dominatur orbe,
Quisquis amatur.

Aureis mentes meliùs catenis
Vinculant Reges: & amore capta
Certiùs quovis adamante servant
Corda suorum.

Blandus & CLEMENS, placidíque Princeps
Pectoris, quem non furor inquietus,
Nec cruentati recreant nocentûm
Sanguine fasces;

Qui procul cædes, Nemesimq́ue regno
Arcet, & quamvis rigor æquus iras
Suadeat, mavult pietate, læsam
Vim reparare:

Hic regit felix, soliiq́ue certus
Vivit; hunc ultro cupidæ regentem
Expetunt gentes, & amata certant
Sceptra subire.

Sic ubi sævas mare ponit iras;
Et Thetis molles imitata somnos
Conticet latè, bibulísque sese
Sternit arenis;

Deserunt ripas, placidúmque sponte
Ambiunt lætæ pelagus carinæ,
Floribus remos, hilaríque proras
Fronde revinctæ.
Ast ubi cæcæ ferus hospes aulæ
Mugit effractis Aquilo cavernis,
Et procellosi tremefacta pulsant
Sidera montes;
Tùm fretum damnat, tumidísque quassam
Subtrahit navim furiis, & omni
Pallidus remo fugit incitatum
Navita pontum.
Quilibet lenes amat: at furoris
Impotes, & quos malè feriato
Torvus in præceps agit ardor æstu,
Quilibet odit.
Hinc Deo par est bonus, & severæ
Infrequens Princeps Themidis, modíque
Limites inter cohibere gnarus
Pectoris ignem.
Nempe Supremus Superûm Monarcha,
Sæculo quamvis scelerum ferace
Fæta noxarum, nova monstra tellus
Fundat in horas;
Ac profanatis malè sana pubes,
Involet cælum manibus, Deûmque
Templa ferali genus inquinatum
Marte lacessat:
Non statim densâ tegit astra nube
Parcus irarum, modicúsque diri
Fulminis; nec, quos meruêre sontes,
Depluit ignes.
Sed manu lenta tonitru ciere
Suetus, inflictas monet ante pœnas;
Insuper promptus veniam roganti
Parcit iniquo.
Sic & Augustæ Domus Alma Gentis
Floret; & multis dominata lustris,
Quos regit, vultu recreat benigno,
Sideris instar.
Unde, quod fasti memorent futuri,
Digna censetur Superûm favore;
Ut regat felix gemini nitentes
Orbis habenas.

S. CANUTUS
REX DANIÆ
Modeſtiâ ornatus.

REgiarum virtutum compendium,
inclyta Majorum ſuorum gloria,
imò & corona CANUTUS fuit:
adeóque plus Parenti ſuo reddidit honoris,
Quàm Philippo quondam Alexander.
Nondum primos egreſſus annos futuræ prælуſit magnitudini.
Subſequum námque nunciat Aurora diem,
umbra ſolem, ver autumnum.
Admirata eſt præter naturæ ordinem Dania
in Aurora meridiem,
in vere autumnum,
in infantia virum.
Reges natura naſci docuit, non fieri:
fieri tamen docuit virtus obſtetrix naturæ.
Qualis futurus Hercules, cunas vide:
ſed & in cunis robur admirare.
Quàm excelſam ſpondeat CANUTUS indolem
primam illius ætatem contemplare.
& in hac indolem venerare.
Ut ſolem produnt radii, ſic primi virtutem anni.
Nihil in hoc præter annos tenerum.
præter vires, teneræ ſcilicet ætatis, imbelle nihil.
In qua tamen ipſa maturum mores, virtutes probârunt Regem.
Et ita legitimo regni ſuffragio regnum eſt conſecutus,
raro ſanè prodigio omnium vocibus in unam harmoniam concinentibus,
poſt exactum chori turbatorem.
Hanc ut & Cælitum probarent aures, in ſacris auxit Odeis.
Prima namque regni fundamenta ſtabilivit religione:
Utpote quæ, ut baſis eſt virtutum, ſic columen eſt regnorum.
Inde prima illi ſacrarum ædium cura:
quas & reditibus; & pretioſa ſupellectili ornare cœpit:
ut reciproco hinc ſplendore & ſceptra illuſtraret.
Quia verò ad alta nati paria moliuntur animi,

Martem virtuti ſociavit,
raro conſortio pugil fortiſſimus & pientiſſimus:
ut religionem firmaret apud ſuos, induceret apud alienos.
Igitur & Marte, & virtute, tanquam fortiſſimo inſtructus præſidio,
quia gemino, mari fortunam quærit:
ut in elemento vel maximè inſtabili eam primùm ſtabiliret.
Cæcam hanc finxêre Deam veteres:
dum ſæpius immeritis benignam propinat faciem;
& bene meritos torvo reſpuit obtutu.
Eſt tamen etiam oculatior Argo:
quando virtutis illa comes, & virtus illi fomes eſt.
Ita namque quam concipit flammam, acuit in lumen;
quod candelabro imponatur.
His igitur facibus excutiens latebras
piratica Myoparonum monſtra feliciter edomuit
novus Daniæ Hercules, Neptuno arridente.
Qui & tutam in oceano malaciam, quâ firma ſtaret victoria, indulſit.
Ut vel hinc fixa maneret ſententia: cuncta virtuti cedere,
nec ullam illi inviam, & extra vias, eſſe viam.
His animatus in liquido,
in ſolidum è mari campum laureata transfert arma Rex glorioſus.
Sed & in his ut fertilem, ſic tributariam habuit Fortunam.
Nam illico cecidit ad votum belli alea:
utpote Cælo adfavente jacta, & â virtute directa.
Sembones, ac Eſtones Orientis populos aggreſſus
proſpero in fugam vertit prælio.
Armis nempe pro Deo populóque ſumptis:
eóque clarioribus, quòd & barbarorum animos religioni ſubdiderunt.
Ab Oriente igitur heroæ virtutis ſplendorem retulit ampliorem:
dum tot victoriis clarior Patriæ velut meridianus illuxit.
Vix tamen ſibi veſpertinus fuit:
quando fulgores tantos crepuſculo MODESTIÆ involuit ſuæ:
non ſibi, non virtuti ſuæ, non fortunæ, ſed exercituum Domino
ſua in acceptis referens trophæa.
Quo quidem id conſecutus eſt,
ut magnus priùs aliorum victor, nunc ſui major eſſet.
Ita, quò clarior ab Oriente rediit fortitudo,
hoc ſibi viſa obſcurior in Occidente eſt MODESTIA.
Ut lauros foris natas cum Daphne Phœbum fugiente
nutriret inter umbras domi.
Umbras tamen auxit has ultra modum obitus Parentis ad umbras abeuntis:
& inde inter luctûs tenebras enatæ hæredibus umbræ,
an & larvæ, ſimultatis?
Nam Heraldus, & Olaus deſides animæ

dum

dum Paternum insolentia stimulante ambiunt solium;
imperante licet modestiâ CANUTUS taceat,
perorant facta; dignissimúmque probat virtus.
Ut nimirum fatuos inter ignes, feraléſque cometarum faces
genuinum Cæli astrum, & in tenebris, sobolem se probat solis.
Interea diu anceps hæsit corona Daniæ,
cujusnam secura vertici insideret.
Heraldum ætas, & natalium prærogativa,
CANUTUM virtus commendabat:
illum otium & ignavia indignum solio,
hunc exantlati pro Patria labores, excelsáque indoles
sceptro dignum comprobavére.
Quid faciat in hoc Alcidis bivio Dania?
periculosæ expositam se videt aleæ:
sive maneat acephala, sive biceps fiat.
Ardui quippe laboris opus est,
inter plures regni competitores, & unum, & idoneum decernere Caput.
Facilis hic error est, nec facilè, nisi mortis arbitrio corrigendus.
Heraldus, cui iners animus ad solium præclusit iter,
apud rectè sentientes;
largiore illud manu sibi aperuit apud ignorantes & iniquos.
Gemina ad solium via est, ut plurimùm, aurum & virtus,
Illam reserat populus, qui publici boni cynosuram non respicit,
sed privatæ potiùs crumenæ sequitur faces:
quæ cùm vehementiùs accenduntur, sæpe vis extinguit, & evertit jus:
Corruptámque adurit rationem error.
Heraldo itaque CANUTUS, virtus vitio posthabetur:
â populo levi ad grave regni evehitur solium,
qui levi promissorum aurâ impleverat spei carbasa:
an ideo etiam ad bonæ spei promontorium devehendus?
Non semper favent Nauclero Favonii:
siquidem prægnantia vel maximè iisdem vela
graviorem sæpe tempestatem parturiunt.
Facilè jacturam regni tulit, & injuriam robusta CANUTI MODESTIA.
Utpote quæ propria non ponderabat merita;
& latere sibi malebat abdita, quàm spectari multis.
Heraldus verò dum Regem induit, fratrem exuit:
ut ferocior in alto solet esse fastûs.
Cui quò majores fiunt oculi per arrogantiam,
eò minùs ferre possunt virtutis alienæ lucem.
Cujus fulgor excæcare solet, & invidiam, & ambitionem,
geminas superbiæ pupillas.
Ergo quia livor corrivalem odit,
Ambitioque semper timet regno,

 CANU-

CANUTUM, qui Marte proſpero regni auxit limites,
Regno proſcribit frater impius.
Ne ſcilicet, ut reâpſe fuerat, is Rege major videretur.
Nec mirare tamen.
Perſæpe exulat regno virtus, ubi vitium imperat:
& felicior ſe ſola foris eſt, quàm cum tali ſocio domi.
Fraterna hic diſſidia Dania timere poterat,
adeóque peſſima rebus ominari ſuis:
ni fratris injuriam CANUTI MODESTIA extinxiſſet;
atq́ue etiam cedendo victrix regni ſpem erexiſſet.
Abit ergo regni decus exigua ſtipatus manu, virtute comite.
Quæ ut ſuus Herculi Theſeus, una ipſi ſufficiebat,
ad comitatum, etiam regio ſplendidiorem.
In Suediam ad Halſtanum Regem pergit exul MODESTIA.
Quæ cùm, ut virtutum, ſic animorum ſit moderatrix,
facilè bonorum ſibi ſubjicit amorem;
adeóque & amicos reperit, ubi non inquirit.
Sic & extra patriam Pater Patriæ dici meruit;
Dum non tam productos regni limites ab hoſtium defendit incurſu,
quàm victorioſo Marte produxit.
Cæpta námque cum Oriente bella etiam exul eſt proſecutus:
ut & Patriæ minùs gratæ, & perfido fratri,
etiam extorris augeret imperium.
Proprium eſt MODESTIÆ hoc artificium:
ut acceptis injuriis rependat beneficia;
& ſubmiſſione ſui extollat ſupprimentes.
Dum ſic pro Rege & regno, extra regnum, vigil excubat hic Antipater,
quàm ſecuro, tam infami otio domi fruitur Heraldus.
Quia tamen decreta CANUTO cælitus Daniæ corona fuerat,
non diu indignum ornavit verticem:
Sed ad meliorem, cui glorioſiùs inſideret, vel ſuo ipſa pondere properavit.
Igitur Heraldus evoluto vix biennio,
non quidem ſuo, ſed fatali mortis arbitrio,
inſignia regni CANUTO vel tranſcribit, vel potiùs relinquit.
Mox iſte unanimi populorum ſuffragio, exultantíſque Daniæ plauſu,
tanquam felix piúſque Princeps,
in avitum poſtliminio ſolium reſtitutus inauguratur.
Erubuit equidem regali in Oſtro regalis MODESTIA,
& ſuo magis, quàm alieno, rubore triumphavit.
Neq́ue tamen auſa eſt repudiare muricem,
qui ſublimiori quondam purpuræ
inter electos Chriſti Martyres conſequendæ præludere videbatur.
Inter plurimas regni curas prima fuit,
quæ primas jure tenet, ipſe DEUS.

Ut

Ut hujus promoveret regnum,
quàm grandia, tam grandi animo suscepit, & subivit pericula.
Laureata itaque sæpiùs, primùm in fidei Numinísque hostes transfert arma:
& quia Deo duce, nunquam non gloriosa.
Reperit in hoc Lernæa bellua novum Herculem:
Cujus & ferro, & mentis in Deum ardentis face interiret.
Curorum, Sembonum, Estonúmque expugnat perfidiam,
& errorum tenebras veræ fidei lumine amabilis hic Daniæ sol dispergit.
Dispersis autem fidei hostibus,
prostratóque hæreseos Pythone,
non sibi, sed Deo triumphos instruit.
Et quales?
Tace hîc tuos Roma: tace tuos antiquitas.
Non facilè auditum victori in se Deo trophæum statuit.
Dum tota námque Dania gloriosum Numini pæana accinit,
Canutus ipse:
Stupesce Orbis, & tanti Regis Modestiam contemplare!
post hostium depressam audaciam, & productos Daniæ terminos,
post copiosas victoriarum laureas, & erecta domi, forísque fidei labara,
patibulati Numinis accedit simulacrum:
præclaróque Regibus exemplo,
summa prostratus veneratione, ad pedes ejus,
regni abjicit cum sceptro diadema.
Et in hoc se, suósque perenni sacrat obsequio Regi Regum.
Felix obsequium!
Nam sic servire regnare est, & regna stabilire.
Laureas quippe nectit laureis,
& fortunæ instabili infigit clavum rotæ;
qui tot inter palmas fastum superat.
Timete Principes, quibus partæ victoriæ attollunt supercilium.
Nam qui est hostis arrogantiæ,
Sequitur superbos ultor â tergo Deus.
Post Deum altera fuit cura publicæ studium utilitatis.
Boni námque Principes non tam suo, quàm suorum serviunt emolumento.
Restituit igitur sua tribunalibus jura, & restituta stabilivit:
probatioris justitiæ cultum severissimis promovit institutis:
Virtutem fovit præmiis, sceleráque coërcuit pœnis.
Archiatri scilicet boni more:
ut integra staret legibus valetudo.
Cæcam ubique æmulatus Astræam,
non sanguini, non necessitudini cessit:
ubi aliud suadebat æquitas.
Non ignorans hanc perire, si privati regnent affectus.
Verùm ut ad solis radios cæcutiunt noctuæ,

Sic ad justitiæ rigorem quandóque armatur iniquitas.
Hinc ubi bonorum succrevit amor bonum æquumque amanti,
infelix lolium inspersêre pravorum odia,
apud quosdam præcipuè magnates nata;
qui ut steriles dominabantur avenæ.
Expectandum tamen tempus messis opportunum rata
dissimulavit hæc omnia prudens Regis optimi MODESTIA.
novis quin etiam favoribus exasperatos animos mitigavit.
Sopivit hoc rore, non extinxit incendium.
Scintillæ enim gliscebant sub cineribus:
ut in abdito maturescerent flammæ demum in publicum erupturæ.
Interea tamen & suas auxit vires virtus,
tantò robustior postea in lucem proditura.
Comis erga omnes affabilitas, constánsque civium amor,
profusa in egenos liberalitas, splendidáque in bene meritos munificentia,
largissima in sacras ædes pietas,
assiduúmque sui pervincendi, & perficiendi studium,
rara regiarum mentium ornamenta,
animique Cælis nati monumenta
maxima sumpsêre indies incrementa:
atque in septa spinis lilia efflorue̊re.
Non tamen idcirco dimiserunt suos spinæ aculeos:
quin etiam cum floribus irrigatæ sua exacuerunt arma.
Ubi námque vitium ad robustam adoleverit maturitatem,
crescit clementiâ furor, amore ira, virtute impietas.
Et hujus illa demum Scopus est:
in quem sua tela ejaculetur.
Occasionem obtulit pientissima Regis Charitas,
ut perfidia clavum obtinente,
impia sibi velificarent odia.
Dum enim suppetias Angliæ opem Danorum imploranti ferre decrevisset,
expeditionem belli commisit Olao fratri suo.
Hic verò improba regnandi illectus cupiditate
in fratris perniciem vertit arma:
quando infensos æquitati, ac pietati proceres; venalémque ad flagitia plebem
adversus Regem concitavit.
Ut sceptra faciliùs in turbido piscaretur aureo ambitionis hamo:
& scelesta sibi fraude iter sterneret ad solium,
quòd illum jure fugiebat.
Ut autem boni non solent facilè mala suspicari;
integrum fratris animum esse, persuaserat sibi virtus innocua.
Adeóque rebus in Anglia bene gestis, in partem gloriæ Olaum vocat.
Fidem spondet perfidus fratri hostis.
I nunc, & fide, sed cui, vide:

quan-

quando & frater fratri juratam fidem violat.
Instructa classe CANUTUS Lymaci advehitur oris:
Diuturnâ illic morâ, longanimíq; MODESTIA præsentiam fratris præstolatur:
eventu tamen vel minimè expectato.
Cunctando namque Cunctator Olaus
Trojanum, quem cœperat, equum perficit:
obtenta quidem populi defectione, sed suo malo.
Nam quæ fratri paraverat vincula, sibi injicit;
et regni malè quæsiti splendorē in carceris optimè meriti squalorem vertit:
ut in se Perilli fata renovet novus Sinon.
Inopinato námque reditu CANUTUS fratris castigat perfidiam:
fraterna tamen severitate.
Nam graviora meritum regii invasorem solii
tantisper vinctum in Flandriam relegat:
ut fidem domi perditam foris quæreret;
& quos corruperat in regno mores, extra id corrigeret.
In perduellionis capite prostrata crederes membra:
nisi infamis Hydra in aliis denuo repullulâsset.
Dum enim æqua defectionis pœna â populo exigitur,
Oleum flammæ superaffunditur:
in novos, ac sceleratiores animatur ausus furor,
& in sacrilegum conspirat parricidium.
Cedendum hîc furori duxit mansuetissima Regis MODESTIA:
Sleswici tantisper maluit latitare voluntarius exul:
ut subducto ignibus alimento, faciliùs flamma supprimeretur.
Sed auxit insolentiam, quæ componere debuerat, mansuetudo:
dum excusso libertas jugo, furori pabulum subministravit.
Non erubuit hîc insolentiæ feroci cedere modestissimi Regis humanitas:
ut vel exemplo humaniora docerentur, qui belluas fuerant imitati.
Subducere se decreverat in Fioniam:
Blaccus amici larvâ tectus, ut ignominiosam Regi fugam dissuadebat:
Regio scilicet indignum animo, obtendens, cedere populo:
cedendo non sedari, sed animari furorem.
Mare siquidem procellosum sit populus, quem varii agitent venti:
qui ubi mitiores Regii senserit animi favonios,
Alcyoniam se componat ad malaciam.
Quam fovere solet non abditum sub nubibus,
sed conspicuum, & serenum coronati Solis jubar.
Credidit AGNINA MODESTIA induto ovem lupo:
Neque sub speciosis personati amici monitis dolum est suspicata.
Ablegatus mittitur ad seditiosum populum Blaccus ipse, ut voluerat:
& hostis nempe ad hostem, & amicus ad amicum.
Quid inde speres?
Non majora sunt expectanda facilè mala,

quàm â malo ſub larva boni latitante.
Ut CANUTUM ſuo dolo perfidus immolet,
mendaciis auget odia, & ſimultates,
aranei muſcas irretientis more:
& in cædem Regis intentam populum animat.
Ita demum ſceleratior, quàm abierat, redit impoſtor:
furorem in amorem abiiſſe nunciat:
tutum ùt repetat ſolium, fallax admonet:
ſed & innocentem in caſſes Regem trahit:
ut ad paratum in ſolio tumulum impellat.
Sciens autem Rex futurorum probè gnarus,
imminere ſibi juſtitiæ causâ mortem,
optandam utiquè potiùs, quàm declinandam;
priuſquàm ſuam ſubiret regiam,
ſacram Regùm Regis aulam petit,
dicatam ſcilicet Albano Martyri ædem.
Ut & certaminis haberet arenam ſui, & athletam athleta imitaretur.
Illic ut victor hoſtium feceràt antè,
jam ſui quoquè victor regalia ſubmittit inſignia DEO:
MODESTIA nimirum apicem adeptâ.
Ita verò preces precibus, & virtutibus virtutes accumulans,
velut ex aromaticis quibuſdam virgultis,
nidum ſibi ſtruxit ſacer iſte Phœnix:
In quò inter ſuæ charitatis, & furoris alieni flammas,
renaſceretur cælo.
Ubi pro temporaria regni non diutùrni,
quàm DEO ſubmittere, & pro DEO dimittere docùerat;
æternam æterni in DEO regni rependit
MODESTIA SANCTA CORONAM.



FOR-

Fortunam reverentia figit.



Arboris ipſa graves inclinat copia frondes;
Ne ſpolium Ventis Regia mala cadant.
Hic typus eſt animi Superûm inter dona modeſti;
Dum ſe ſubmittens auget honoris opes.
Stare loco neſcit Fortuna volubilis alto:
Solus eam docet id, qui reverenter habet.

Encomium exegeticum
Regiæ Modeſtiæ.

Qui regna ſceptris, ſceptra qui dextrâ rotas;
Cui ſolis ambæ Regiæ
Tributa pendunt; cui Tagus gazas parit;
Ganges arenas gemmeas;
Pactolus aurum; qui cothurnato pede
Atria coruſca proteris
Achate ſtrata; mille cui vertex nitet
Cinctus Pyropis; purpurâ,
Oſtroque Tyrio picta cui totum tegunt
Regale corpus ſyrmata:
Regna modeſtè. Regis heu quantum decus
Offuſcat inviſus tumor,
Umbríſque fædat! Mentis at mitis decor,
MODESTIÆQUE GLORIA
Quantùm refulget! Regna ſi regnis nova,
Sceptríſque ſceptra jungere
Fert animus, humiles ferto vultus. Non micat
Diadema Regis clariùs,
Tantáque Majeſtate Rex nunquam valet;
Quàm quando nube MODESTIÆ
Obumbrat ora, & ignibus licet caput
Rutilet coronæ, ſpiritus
Ferat modeſtos. Hæc rapit virtus fibras,
Et ſubditorum pectora.
Emuntur humili corda riſu. Tam feras
Nemo medullas contrahit
Liguſtica de rupe, quas nequeat ſtatim
PRINCEPS MODESTUS flectere.
Huic cornu Amalthæa, Charites riſus ſuos,
Ceres coronam ſpiceam,
Bellona palmas tribuit. Et ſago & togâ
Gaudet Deorum munere.
Hunc nec frementis tela deterrent ſtygis,
Minùs chelydris horridum
Caput Meduſæ. Quem ſuo Cælum tegit
Favore, nec nimbis hyems

ſni-

Inimica, nec ferox procelloſo poteſt
Notus Boote ſternere.
Fortuna regnis dubia præciſas habet
Alas: abire Principis
Solio modeſti non poteſt. Lubrica tamen
Faſtigiatas deprimit
Turres. Quieta parvulas ſinit rates
Sulcare tutè marmora;
Irata Laomedontias puppes quatit.
Odit ſuperbos Jupiter,
Fovet modeſtos Principes. Nunquam diu
Regno potitur, ſidera
Qui faſtuoſo premere contendit pede.
Obeliſcus ille perpeti
Firmatus ævo ſtabit, humili quem baſis
Suffulcit in fundamine.
Tumidi coloſſi, vix quidem nomen tenent.
Non æmuleris æthera,
Sub aſtra cui Fortuna remigibus dedit
Pennis volare. Quæ Icaro
Conſtruxit alas, luſitans eadem Dea
Radiis liquavit Delii.
Extollit idem, & deprimit Reges Deus;
Immiſcet ima maximis.
Trabeam tumentis Regis exemplo in levem
Mutant lacernam Numina.
Siniſtra Pygmalionios quibus dedit
Superare cenſus, dexterâ
Stipem rogare cerno. Quos tumido Polos
Calcare plantâ Phoſphorus
Conſpexit, hos ſubire mox miſerâ vice,
Famulante vidit Heſperus
Collo lupata Regis alieni. Deus
Babylonis eſſe, thuráque
Qui vult Deorum, ſubditi explodunt bovem;
Probrúmque faſtûs improbi.
Rex ſceptra regni verſat, at Regem Deus.
Diu imperare Jupiter
Regi ſuperbo denegat. Cordis vices
Eſt Principi MODESTIA.
Diadema capite, ne caput throno cadat,
Fuge mentis elatæ notas.
Favente navim ſorte firmatam reges
IN ANCHORA MODESTIÆ.

S. EDIL-

S. EDILBERTUS CANTIANORUM ET ANGLO-SAXONUM REX.

Temperantiâ fulgens.

EDILBERTUM Regem DEO amabilem,
Regno ſuo admirabilem, & poſteris imitandum,
in ſummo medium, & ſummum in medio tenentem,
Regibus aliis ad viam veritatis Ducem, & exemplar
Vetus Britannia, hodierna Anglia veneratur.
Cui nobilitatem, & pretium, quod nomine ſortitus erat,
re poſtea conſecutus cum gloria communicavit:
quando ex errorum obſcuritate evolutam
orbi clariorem, & cælo digniorem primus fecit.
Bertham ſortitus conjugem è Regio ſanguine,
de tuo, Francia, gremio germen nobile, & ſalutare:
quia ex Liliorum patria, amantibus lilia
candorem Anglis allaturum.
Nam ad vitæ ac ſalutis initium
occaſio illi fuit pium hujus conſortium:
ut primus eſſet è Regibus Angliæ, & Auſtralium ejus provinciarum,
Cui cum Diviniore Auſtro Sol Juſtitiæ de Cælis affulgeret:
ut ejuſdem radios fortunatis ipſe ſucceſſibus promoveret,
ad plurima ſcilicet virtutum aſtra ſuo tempore oritura.
Felix Hymenæus!
Quibus tædam accendiſti ad fidem tori conjugalis,
Bertha re non minùs, quàm nomine pretioſa;
etiam Fidei Orthodoxæ lucem ſociâſti:
ut quaſi nata eſſes in Geminis, diem geminares.
Eo pacto conſortem accepit EDILBERTUS, quo nuptui data fuerat:
ut eandem ritu Religionis Chriſtianæ vivere pateretur,
cum Luidhardo Epiſcopo ſancto, ejúſque in Spiritu Magiſtro,
quem viæ ſocium, atque Cuſtodem Secum adduxerat.
Hujus, & Conjugis exempla non viſa priùs,
rara vitæ auſteritas, ſpectatáque morum Sanctitas
& cum his Orthodoxa veritas ſenſim illius animum ſubingreſſa,
ubi incurrit in oculos, & allapſa eſt per aures,

admirationem peperit, & occupavit affectus:
ut pulcherrima in fide proles in lucem ederetur.
Sic viam Domino paravit Luidhardus;
sic locum & sedem gratiæ Regi infundendæ disposuit:
ut Sanctus videri inciperet EDILBERTUS, etiam in tenebris,
quantumvis nondum lumen gratiæ adeptus:
ut nimirum creperam Phosphorus
inter nebulas matutinas lucem vibrat:
adeóque Christianis moribus præluderet,
etsi nondum notatus Charactere fidelium,
nondum Ecclesiæ gremio receptus,
gratioso tamen decreto Numinis jam Candidatus.
In quem non credidit, suscepit in Legatis suis Augustino & Sociis,
Delegantem magnum fore arguens,
qui tam claros miraculis, tam potentes verbo & opere viros,
velut Cælestes quosdam submisisset Mercurios,
nova scilicet è Cælis bona allaturos.
Æternæ felicitatis nuncium excepit gaudens, & laudibus extulit;
cui ut adhuc tùm diffideret,
â Majoribus hausta, amatâque â teneris superstitio imperabat.
Quemadmodum veterno pressi ortam sibi lucem
obductis arcent valvis, dum omnino revalescant,
& firmiore visu gaudeant.
Non tamen idcirco infestus aliis eripiebat lucem;
quin etiam adfavebat, ne aliunde impediretur.
Ita collegit anxios advenas Urbe suâ Doroberniâ, quos nesciebat:
& sub eo veritate excidit illud:
Ignoti nulla Cupido, nullus amor.
Ut novo stratagemate amorem sibi veritas conciliaret.
Novum equidem vidit, & alienum hominum genus,
favorum tamen sinu benignè complexus est:
etsi aut suspecta, aut odiosa esse solent omnia,
apud summa præsertim Capita Reipublicæ;
quæ aliena sunt, vel aliùnde.
Vitæ necessariis provisum illis voluit, quorum Sectam non admittebat:
liberalissimus Princeps, fæcundi gratiarum pectoris,
& amplissimæ benevolentiæ:
cùm nondum Divinæ munificentiæ laudes percepisset;
nec promissa beneficentiæ præmia intellexisset.
Horrorem facere poterant peregrini mores, & habitus:
amorem tamen etiam suaviter conciliârunt:
quia in mentem candidiorem inciderunt.
Non sola nempe similitudo morum, sed & dissimilitudo mater amorum,
quando Spiritus amoris afflat mentes.

Ut-

Utpote qui novit optimè, & suevit,
non secùs, quàm pneumatico in organo diversas omnino fistulas,
in harmoniam corda concordem animare.
Quos modestia ac demissio animi infra omnes abjecerat, ut pusillos,
oculis respexit suis, imò & suspexit.
Idque eò magis, quò majore se reverentiâ demittebant.
Magnum nempe quid, atque altum in ipsa humilitate notavit:
quæ cùm amœna sit, rapit animos non superbos:
quin & manus pellicit, ut inter violas elevetur.
Qui vana numina damnaturi advenerant,
& aliam ducturi, docturique vitam,
mirum in Rege diversa sectato,
Sui, vitæque securos esse jussit, imò etiam fovit;
ne ullis subditorum odiis obnoxii palàm forent.
Tyrannum timere poterat pusillus grex, & Patrem est expertus:
imò plusquàm Patrem.
Cùm Idololatræ non pauci
ne filios quidem CHRISTUM sequentes tolerârint;
nonnulli etiam sustulerint è vivis.
Paternis enim legibus irritandis intentum,
salvo ubique pede stare voluit,
quem Regnorum plurium exemplo poterat exterminare;
vel minimùm dejicere supplantando.
Evangelio locum dedit, quod non receperat:
Converti suos clementer tulit,
qui Deorum cultui nondum renunciaverat.
Hinc argumentum cape:
qui nondum exutus gentium errorem, tam facilis fuit,
quantâ benignitate in CHRISTI fideles extiterit indutus CHRISTUM.
Ita Rex verè DEO amabilis in ipso quasi flore priùs,
quàm in fructu etiam gratioso,
Filii DEI nomen sortiebatur.
Cælibem Sacerdotum Orthodoxorum vitam obstupuit, & comendavit:
Cùm pretium ejus adhuc ignoraret,
lege in membris ejus aliâ etiam tùm dominante.
Orandi fervorem, & assiduitatem suspexerat,
Cujus mens ultra humana & infima hæc se nondum extenderat.
vigilias pietatis causâ susceptas prædicaverat,
etsi vanus adhuc animus deliciis sæculi sopiretur.
Jejuniorum, & sobrietatis constantiam vix capiebat;
quem commoda vitæ escis irretitum suis capiebant.
Sed quod celebrare in tenebris delectabat,
num imitari deinde in fidei luce piguerit?
Quod habuerat in honore cæcutiens,

an illustratis postmodum oculis erubuerit?
Hinc facilis esse conjectura potest,
quantum Ecclesiæ decus attulerit multiplici virtutum genere,
qui præconem earum celeberrimum cœpit agere,
priusquam in se earum dulcedine, & gustu perfunderetur:
hoc est, venales exponere Margaritas antè tentavit,
quàm pretium earum satis cognovisset.
Fonte igitur sacro mundatum, & feliciter irrigatum est,
tam candidum aliàs, tam dulce Caput:
in quo sibi cœlum complacuisse videbatur:
Ut in Capite Anglorum Angelis bonis jungendorum scriberetur.
Hoc maculis absoluto, in cætera membra venustas latè diffusa.
Nam ut magnete trahuntur populi exemplo Regum.
Rex velit honesta, nemo non eadem volet;
nisi hostis fuerit honesti.
Illico cœpit undique resonare CHRISTUS, & coli palàm:
fana dirui, in Ecclesias delubra consecrari, idola subverti,
superstitiones aboleri,, omne vitiorum & scelerum chaos eliminari,
errorúmque tenebris procul abactis, lux affundi:
& in hac amandatâ Gorgone,
saxeis gentium diis verum substitui Numen.
Unde & morum elisa sensim est barbaries;
& feritate dedolatâ, humanitas faciem induit planiorem.
Vidisses Regem eundem, & Apostolum Zelo sacro ardentem,
Omnium virtutum exemplar factum, & ideam;
Verbo egregium Constantini Augusti imitatorem:
quia & Augustini sancti discipulum.
Ad omnem virtutem non tam animos,
flabro aromata spirante imitatus Austrum, fæcundabat;
quàm currenti calcar, volanti impetum, oleum ardenti ministrabat,
assiduo conatu GREGORIUS ANTISTES ROMANUS.
Ingens illi ardor & studium fidem agnitam disseminandi:
usque adeo quidem,
ut in Societatem promissæ spei venirent omnes, quos posset adducere;
& pari sorte immortalis vitæ bearentur, inter obnoxios mortali vitæ,
quos par conditio mortalitatis fecerat similes.
Vidêre subditi & Regna extera, Sectatorem eundem, & Suasorem,
fari non promptiorem, quàm facere meliora.
Quod Augustinus & Consortes ejus humili voce prædicârunt,
sublimi Rex Majestate confirmavit:
& facto grande verbis pondus addidit.
Quod plantaverant illi Apostolorum ritu,
Regiâ hic authoritate, minimè tamen violentâ, propagavit.
Hoc verò etiam pacto feliciùs omnia processêre,

Pro-

Providentia Numinis fortunæ rotam dirigente:
ne extra orbitam ferretur.
Neque sic vel Thebas Amphion fidium concentu erexerat,
ut suavissimis, & exemplo amabili conditis EDILBERTUS illiciis,
dura cæteroqui corda subditorum
in unam Ecclesiam optatissimâ fidei unione conjunxit.
Sed neque Regnum tam fuit amplum,
quin, ut bona se communicare solent,
extra limites extenderet hanc pietatem.
siquidem & verbo, & exemplo potens
alios quoque Reges ad imitationem sanctam invitavit.
Ut nempe suus Miltiadi Themistocles non deesset;
& columba balsamo delibuta plures traheret ad foramina Petræ.
Fideles ut fratres, atque domesticos sancto osculo complectebatur:
utpote quos cives Sanctorum, & domesticos DEI crederet,
& in cælo secum beatos esse cuperet.
Mirandum simul, & jucundum erat videre,
usque ad Umbriæ fluvium dominantem:
Obsequio tamen infimo, & sine umbris, egenis servientem;
& inter orbis Capita eminentem
ne minimos quidem, etiam â pedibus, aspernantem:
cum humilibus liberè versantem,
se ipso tamen inde nil minorem, imò & majorem:
quia demissione sui Deo propiorem.
Ita se semper attollebat humo, ut procul abesset â fumo:
in puncto gloriæ acuebat honoris acumen, hebetando;
ut illud figeret in supremo Virtutis centro.
Tanquam nihil habentem, & pauperem Christi exhibebat sese:
Cui ad vitæ jucundioris, & Regiæ commoda nihil deerat:
nisi quod ipse vincendi sui studio,
virtutísve amore sibi deesse voluerat.
Quibus equidem factis mundo admirandum,
Cœlo autem jucundissimum exhibuit spectaculum.
Hoc verò in eo singulare miraculum, & virtutum compendium:
Quod felix & continens, fortunatus & sobrius constanter incesserit,
in lubrica etiam via arbitrii præpotentis, animo impressum habens:
temperantem esse oportere, qui omnium animos temperaret:
cùm nemo det, quod non habet;
Sobrium, qui sobria tractare consilia vellet;
sanum, qui sana de rebus judicia ferre cuperet:
continentem, qui legibus frænare populos desideraret;
& haltere suo firmum; qui suos in recta optaret stare linea.
Hinc ne dubita sapientem fuisse Regem;
cùm sapientiæ primarium fundamentum sit sobrietas:

quæ in se virtutum omnium continet semina,
velut iliadem nuce clausam.
Sanum quoque, ac beatum vixisse, facilè intelligis,
qui Platonem audis: Temperantiam vitæ hominum custodem esse;
& nihil in homine mali nasci posse, qui continentiam fuerit amplexatus.
Ideo veterum, ac rectè sapientium Romanorum secutus exemplum,
quasi matrem bonæ valetudinis, moderationem observavit.
Inimicam utique apparatis ad luxum epulis,
alienam à poculis cerebro periculosis,
ab usu Veneris vel illicito, vel minùs moderato abhorrentem:
ut scilicet medium teneret ubique cum Beatis
in medio virtutis integerrimæ puncto.
Noverat luxuriâ, & libidine virtutem atteri, & languere victorias,
Sopitam gloriam in infamiam declinare,
animique pariter, & corporis vires expugnari.
Epaminondam Sapienter æmulatus,
tùm vel maximè vigilandum Principi ratus,
cùm populus maximè, ut solet, indulget genio:
ne virtus Regia in vanitate plebis evanesceret.
Regias igitur opes, & delicias EDILBERTI
ne in desidia, luxu, voluptatibus quære.
Ex iis enim, quæ his neglectis, in lucro reposuit,
tributarium secrevit vectigal Ecclesiis.
Imò & Aulam suam in Ecclesiam convertit per Augustinum.
Exstruxit Cœnobia conservandis virtutibus apta,
ut adelphotrophia pietatis.
Episcopatus erexit religioni propagandæ idoneos,
tanquam publica fidei Seminaria.
Loquitur etiamnum ejus munificentiam Anglia, & Cantium.
Ubi insigne Monasterium Apostolorum Principibus dicavit.
Sub quorum scilicet umbra cum Augustino suo Rex quiesceret.
Ita nempe detractum sibi nimium transivit in optimum temperamentũ.
Tandem qui sic vixit, ut non minùs cœlo, ac sibi, quàm suis, viveret,
abiit è vivis eo TEMPERANTIÆ fructu,
quo in æternitate felici perpetuò reficeretur.
Sex & quinquaginta annos Regnum tenuit:
valetudine fere integrâ, & longævâ,
quia & Nutricem, & Sospitem habuit amatam semper TEMPERANTIAM.
Cujus cultu cùm emineret, documentum Principibus reliquit singulare.
Quod, sicut intemperantia excidium est Regnorum,
& infame Regum dedecus;
Sic TEMPERANTIA sit utrorúmque gloria, & felicitas,
tum in hac, tum in futura vita.

Quod

QUOD SATIS EST, HOC LUMEN ALIT.



Aurea, quam cernis radios diffundere, lampas
  Luce ſuâ multis aſtrum imitata favet.
Sic Princeps oſtro ſimul, & virtute coruſcus
  Fulgore illuſtri corda, oculósque beat.
Sanum, & longævum ſervat moderatio rerum;
  Quæ, quod lychno oleum, viribus eſſe ſolent.

Encomium exegeticum
Temperantiæ Regiæ.

FUlgens quod nitidis Cynthius atriis,
Phœbe quod tenebris, vitáque corpori,
Hoc vobis tribuit mens jugè temperans,
Regum, credite, purpuræ.
Hæc densas animi lumine Palladis
Dispellit tenebras, vestráque plurimis
Elucere facit nomina sæculis.
Hoc Regum jubar inclytum
Bellonæ lituos in fera prælia,
Et lauros animat viribus entheis,
Hostili rabie pergama liberat,
Fulcit pegmata Principum.
Heu quantis levitas, immoderatáque
Vivendi jugulat sæva licentia
Urbes excidiis! quot tumulos struit
Terris, fatáque Regibus!
Nunc captiva tenet pectora Principum
Effrænata gulæ, fædáque servitus:
Quæ non Elysios Ætheris ambitus
Gratum non Hecates jubar:
Spectandi dederat fas Dionysio.
Pro vili rapuit Martia poculo
Sceptra, & lauricomum Lysimacho decus,
Et prædas dedit hostibus.
Nam pacem Imperii flumina Liberi
Effrænis rapiunt, inque rebellia
Subjectos populos classica concitant;
Ut justa excutiant juga,
Et cunctis dominos Sedibus exuant.
Hinc sanctè vetuit Romuleæ Caput
Urbis, ne cui vel pampineis plagas
Fas sit pingere frondibus.
Quid pleni vacuâ pondere gurgitis
Cernes Armeniâ Tigride fortius?
Aut largis saturo corpore pabulis
Pardo viribus ægrius?

Tem-

Tempestiva fames illius aggerit
Cum cursu celeri robora viribus:
Hunc venter superat, fædáque prælio
Infami subigit gula.
Laudes longa tuas sæcula concinent
Romani Domitor Climatis Annibal,
Cui parcus Cyathus, mensáque debilis,
Incorruptáque puritas
Inter tot fuerant agmina Laidum,
Belli quæ juga sors sub tua miserat.
Sic laudum seges est læta perennium
Corpus vitâque temperans.
Hæc septena vigens Palladiæ manet
Inter fulcra domûs: Pierii jugi
Hìc fixisse suas inclyta Numina
Sedes, credite Principes.
Nempe hæc Niliacos Ætheris abdita,
Titanis salebras, signáque siderum
Mystas edocuit, tantáque fecerat
Longis nomina sæculis.
O si magne vibres fulmina Jupiter!
Vestris Eumenides sternite barbaris
Sedis Tænariæ turba furoribus
Monstrum dulce libidinem;
Et nullo domitos limite luxui
Devotos animos sternite Numina.
Hæc dulcis, sed atrox esca Cupidinis,
Omnis colluvies mali.
Hæc fasces, & opes, sceptra, potentiam
Regnorum Assyriæ Principis ultimi
Quàm turpi Ducibus funere perdidit
Sævo Mulciberis rogo!
Humanos animos, quêis nihil altius,
Aut quid nobilius magna potentia
Naturæ peperit viribus exuit,
Nativúmque rapit decus.
Hoc altis inhiat sedibus impigrum
Dulce, at grande malum, bellua pestilens.
Huc primùm gladios, teláque vertere
Ignita expediet, luem
Hanc, monstrum hoc validis sternere viribus:
Cingétque uberior laurea vertices,
Et vitæ series tardior evehet
Longis nomina sæculis.

S. EDUAR-

S. EDUARDUS REX ANGLIÆ

Synceritate fidei, veritatisque gratiosus.

NUmera stellas, si potes, virtutum;
Quæ in hoc Rege Anglico, & Angelico
tanquam Serenissimo Ingenui Candoris firmamento,
ad amabile Regiæ æmulationis Incendium fulsêre;
fulgebúntque ad splendorem non inanem in perpetuas æternitates.
Unum calamus obtendet unguiculum;
ex quo, quisquis amans es justi, metire Leonem.
Etenim EDUARDUM hunc
an Regem in Regno;
an in virtutis arena Palæstritam,
an Incarnatum Angliæ Angelum dixeris?
Vix, aut ægrè decideris.
Ubi tamen trinum hoc in Eodem perfectum substitisse statueris,
rem acu tetigeris.
Nam & Regem, & Palæstritam, & Angelum
eo gessit æquipondio;
ut quavis mole negotiorum occursante,
neque ad dextram, neque ad sinistram deflectens,
medium virtutis callem constanter terendo,
in bene agendo callum obduxisse visus, Medióque tutissimus,
non aliâ, quàm Regia, ad Sanctimoniam viâ,
ut Regem addecet, ambularet;
& Coronam ipsam virtute coronaret.
Ex hac equidem linea omne tulit punctum:
Dum ita concinnè fulgentissimum Probitatis aurũ Regali Purpuræ intexuit;
ut & Regni, & virtutis omnigenæ Rex
non tam audiret, quàm esset.
In arduis quippe Hercules, in perplexis Theseus,
in bello Hector, in pace Gallicanus:
ut Cordatum se in omnibus exhiberet.
Non deerunt fortè tamen, qui excordem fuisse putent;
si recolant animo, quòd cor suum non tam inter costarum abdita reclusum,

quàm in lingua, & manibus gesserit apertum.
Quò SYNCERIORI esset in omnes FIDE:
& vel hac arte omnium sibi corda devinciret.
Optimum quippe toto orbe Commercium judicavit;
si linguam inter, & cordis Provinciam
confœderatio sit mutua, amabilísque nexus:
quo, tanquam Gordio quodam adamantino,
sacra amicitiæ, ac pacis jura stabiliantur.
Neque verò ignorabat, necesse ad hoc omnino esse;
ut quod mens Dictatricis instar, suo in dicasterio agitaret,
fidelis ejusdem amanuensis Lingua sine dolo promeret;
in tabulas utiqúe veritatis referendum.
Dum Regem se esse meminit,
siderum Principis in se imaginem vidit.
Cújus indolem cum prætexta indutus non degener ab hoc prototypo,
serenior & suis, & extraneis illuxit.
Verùm non tam ab ovo, quàm ortu,
ingressum Regni vias intuere.
Solem hunc velut in auroræ gremio,
latitantem etiam tùm subter Matris viscera,
candido haud dubiè calculo,
in Regem delegisse visa est fortuna;
& candidiore suffragio
suam isti cœlum sententiam junxisse, certum.
Siquidem ab Ipso APOSTOLORUM PRINCIPE,
inauguratione rarissima,
in Regem unctus memoratur.
Ita verò etiam deinde,
ut Dictator ille siderum sua trabeatus in luce Horizontem ingrediens,
antesignanæ Lucis purpurâ, velut umbrarum debellatrice,
omnem inimicæ noctis propulsat caliginem;
exactísque tenebrarum copiis,
& abolita nocturnæ mortis imagine,
cum die vigorem, & vitam orbi reddit:
EDUARDUS quóque suo in solio feliciter emicuit;
& optatis Regnum radiis animavit.
Nulla Ei ut lucis Angelo, cum doloso noctis genio amicitia;
Nullum cum tetris stropharum Politicarum spectris commercium;
Nulla inter fucatas fraudium nebulas consistentia.
Idcirco ut osor fallaciæ, cordiali candoris jubare perstrictos
& assentatores, & Palpones procul amandavit.
Illustri SYNCERITATIS radio extinxit vafritiem,
infaustásque Machiavelli noctuas propulsavit.
Semper discordes Phrynondæ exosus antitheses,

ludum Sinonis ludere nescius,
Ulyssis technas, ac Pyrrhandri Sophismata,
recti, verique tenax Veritatis amasius
cane pejùs & angue est execratus.
Dixisses Regiam ejus linguam genuina SYNCERITATIS indole imbutam,
& Magnetismo tinctam Sympathico.
Utpote quæ nè ad unguem quidem
à virili, Regióque verbo,
tanquam adamantina fidei regula, unquam exerraret;
nunquam à VERITATIS ARCTO,
tanquam cardine Politici cœli summo, declinaret.
Loquuntur hoc Principum, Regúmque fasti:
ad quos ubi Lingua prævolaverat,
jurata vel ad sonum pedissequa
secuta est & manus Executrix:
corde scilicet & hanc, & illam dirigente.
Plura Vaticano facundum eloquio, summúmque in terris Ecclesiæ Caput
suis posset è regestis de hoc amore veri promere.
Huic enim ut summum semper habuit honorem,
ita intimos mentis recessus, penetralia cordis, animíque sensa
candore semper integro, eáque fide reseravit;
ut omnes filii partes implêsse diceretur.
Collactaneâ edoctus erat id virtute;
supremo Orthodoxorum Patri rectissimè arcana quæque pandi:
utpote cui claves humanorum cordium ad cœli fores aspirantium
obtigissent è Cœlo.
Eodem verò candore, quo filium se Pontificis probaverat,
pauperum se Patrem præstitit EDUARDUS.
Ac primùm quidem,
nè subditos metuenda fortè paupertas premeret,
Onera ab eorum humeris non pauca submovit:
sed & tributorum partem liberali statuto remisit.
Eóque facto gloriosus victor
non fictum illum, sed verum, & inimicum veritati Cerberum,
quem collectis incubantem numis viderat,
non jam in lucem protraxit ex orco,
sed in tenebras orci profligavit.
Deinde verò etiam
non tam promissis, quàm factis erexit,
quos paupertas dejecerat:
ut nobilitatem suam non jactaret multa promittendo,
sed plurima præstando veram comprobaret.
In lamenta solvebatur miseria? illico Regia commovebantur viscera:
fatiscens nutabat inopia? Regia confestim adfuit fulciendæ dextera.

Ut quod ſedebat intus animo, re ipſa ſtaret foris.
Neque verò curta unquam ad ſuccurrendum ſupellex eſſe poterat;
quam ampliſſima Regis pietas ad fines orbis extendebat.
Larga cumprimis manu occurrere ſolebat iis;
Quos à petenda ſtipe privatos inter lares honeſtas cohibebat.
Noſocomia extruxit languentibus,
Xenodochia peregrinis,
Orphanotrophia derelictis.
Quos verò extra ejuſmodi paupertatis aſyla errare viderat,
apertâ paſſim crumenâ ſolabatur.
Ut vel hoc viſco ſibi caperet aves;
quæ felices in cœlo forent Oſcines.
Sanctæ nimirum eſt avaritiæ ſtropha:
dare pauperi, ut Domino fœnereris.
Ita námque meliori modo deerit,
tam quod habes, quàm quod non habes:
Illud, quia in CHRISTI minimos diſperſum:
iſtud, quia in cœleſtes Theſauros congeſtum,
tuas eſt extra manus.
Imò verò ſic & quæ habes, & quæ non habes,
omnia fient magis tua:
utpote in æternitate tecum duratura.
Hoc uti probè noverat EDUARDUS,
ita Sanctâ quâdam uſurâ exercebat.
Adeóque eò longiùs largam porrigebat manum:
ubi dando plura, plura caperet, ſine dolo, vel uſura.
Quod quia non fit verbis:
Verbum, quo ſolabatur miſeros,
& manus habuit, & pedes.
Nè cum ſono tantùm evaneſceret, ſed & nubes penetraret.
Et verò etiam inde reſpondit Echo:
quæ non carebat manibus.
Nam cùm Sacerdoti ad aras facienti aſſiſteret,
CHRISTUS levata illic manu Eidem benedixit.
Sed palmare unum, alterúmve admirare,
& miſericordiæ, & Candoris argumentum.
Adierat Regē non tam ſuis, quàm alienis pedibus, pauper membris captus;
petiturus eleemoſynam tam grandem;
ut pauci Principes eam vellent, multi non poſſent erogare.
Memorabat quippe mendicabulum illud,
ab Apoſtolorum Principe promiſſam ſibi ſanitatem;
ſi bajulo ad templum Rege uteretur.
Quonam reſponſo ſolverent ejuſmodi quæſtionem
vel infimæ ſortis Toparchæ?

An

An non plurium ora sive rubor, sive pallor oberraret?
An non suspecta multis forent omnia?
Quid igitur hîc EDUARDUS?
Nil cunctatus, quàm hilari fronte, tam prompto corde,
pio huic oneri substernit humeros;
Et pompâ plusquam regiâ defert ad aras:
moxque in stipem optatam reddit sanitatem.
Ita extempló factus est Æsculapius in templo:
eáque medendi vis Regiis illius manibus adhæsit;
ut non tantùm pluribus ægrotis esset sospitator:
sed non nulli etiam cæci lymphâ,
quâ suas ipse manus abluisset,
oculorum suorum tenebras eluerent.
Ita quò se charitatis, & simplicitatis ductu demisit magis;
eò ampliùs à Domino, quem fuerat imitatus, est sublevatus.
Ita virtus, quam cæcus in pauperes amor,
& præfulgidus ille MENTIS CANDOR exoculâsse visus est;
eoúsque inclaruit, ut tunc maximè sit visa Cœlitibus,
quando se ipsam non videbat.
Porrò quia connubio, ad quod invitum proceres adegêre,
virginitatem, nobiliore scilicet matrimonio, copulaverat;
affectu teneriore ferebatur in DILECTUM DOMINI DISCIPULUM:
Angelus nempe in Angelum,
quia in Virginem virgo.
Nè verò & huic amori suus abesset CANDOR:
ita sanctum hunc diligebat, ipso etiam facto;
ut nulli quidquam, & unquam denegaret,
quod amore Dilecti fuisset expetitum.
Hanc autem syncerissimam pietatem
Regio deinde etiam annulo luculentiùs obsignavit:
ut eò firmior utrinque staret fides, & simplicitas
amoris minimè fucati.
Adfuit enim, ad lydium scilicet exploraturus aurum,
non tam fortuito casu, quàm sacro amoris astu,
mendicabuli personam indutus
DILECTUS HIC APOSTOLUS.
Et ecce
noto sub ignoti, imò meliùs noti nomine
stipem flagitanti,
seu quòd aliud in flagranti non esset ad manum;
seu quòd personatus idipsum Sanctus designaret:
ne cordiali quidem digito pepercit:
ùt nempe rem ex corde totam agi, certum foret.
Sed extractum inde annulum in donum offert verè regium:

quodque majus est, & præclarius:
in donum CANDIDE AMANTIS.
Usus est hâc eâdem tesserâ & JOANNES:
ut suum & ipse contestaretur amorem.
Annulum remittit EDUARDO;
& unà nunciat mortis horam.
Quâ nimirum candidus hic Adamas
æternitatis annulo sit inserendus:
in quo quàm Virginei, tam candidi
perpetuò sibi conjungerentur amantes.
Accepit hunc nuncium lætissimo Rex animo;
& mox toto vulgari Regno fecit:
Quò plura cum piorum precibus colligeret suffragia
in eam horam servitura.
Ut qui candorem semper amaverat,
candidis candidorum calculis adjutus,
tanquam cœli candidatus,
faciliùs, & feliciùs è vivis morientium abiret
in regionem viventium.
Abiit verò etiam quàm felicissimè:
& animum quidem Virgineum
sacro Virginum choro sociavit;
corpus verò multo tempore integrum reliquit
in thesaurum suis maximum.
Ita verò etiam non tam Anglos, quàm Angelos docuit imitari,
Angelica mentis & corporis integritate
INGENUO MENTIS CANDORI,
velut Angelico cumprimis ornamento,
sociatâ, perpetuòque sociandâ.



CON-

Concordant intima signis.



Quàm bene concordant; neutro fallente, ſonora
Auroræ automaton, Memnoniumq́ue melos!
Adnantes conchæ patulo velut ore fatentur:
Quod ſpes, hoc res eſt; nullus utrinq́; dolus.
Scilicet & Princeps aures, oculóſque meretur;
Si, quod verba ſonant, córq; manúſq; probent.

Encomium exegeticum
Fidei & Veritatis Regiæ.

ORbem ſubactum pectore candido
Quicunque tractat, ſemper amabili
Linguæ maritat dexteram.
Hæc executrix invariabilis
Quod verba ſpondent, ſancit aheneis
Firmare factis. Regio
Nunquam recumbit pectore diſcolor
Ulyſſis aſtus: Fallere neſcia
Ut ſit loquela Principis.
Regum coronâ pileus eſt minor:
Sed nec jocari pileolo decet,
Cui pondus orbis incubat.
Verùm ut coruſcus temporis arbiter
Nimboſa poſtquam ſæviit impete
Hyems maligno, denuò
Vernante cœlo clariùs emicans
Depectit Æthram, & rumpere nubium
Gaudet phalanges Cynthius;
Ac mox odoris gramina floribus,
Arbos renatis luxuriat comis,
Tellúſque læta ſubſilit:
Sic Rex triumphat, qui nivis æmulam
Lactante cœlo, ſuxit ab ubere
SYNCERITATEM. Qui ſolet
Regale Sceptrum tingere eburneo
Nitore veri, juſtáque limpidis
Servare pactis integra.
Cui candor oris, verba adamantina,
Pectus pateſcens cum ſtabili fide
Phœbúſque mentis albicat,
Hic æviternis ſceptra ſecuribus
Felix maritat; ſole nitentior
Diſpergit umbras: omnia
Quæ perduellis Cerberus evomit,
Quæ toxicati filia Tænari
Circe propinat, excútit.
Enubilantur Tartarei doli;


Sphin-

Sphinges necantur, monstra Acherontica;
Perit caligo fraudium.
Sinon recedit, Laomedontia
Facunda pestis, vafrities cadit,
Et multa fucis illita.
Est, est supremi Numinis indoles,
VERACITATIS CŒLICA TESSERA:
SI FACTA VERBIS CONSONENT.
Verbo Tonantis stat manus efficax
Propinqua semper. Dixit: & omnia
Sunt facta verbo, & unico.
Sic VERITATIS quisquis amasius,
Authoritati Pondus, & auream
Addit coronam Nomini.
Mendaciorum Vendere spongias,
Et discolori mentis in abdito
Vestire linguam Proteo,
Tenebrionum est, fæcis & algidæ,
Suetúmque lixis. Est stygii horridum
Lavernionis ectypon;
Est fraudulenti machina Vejovis;
Est larva Ditis, spumâque Cerberi:
Si verba corde deviant.
Mendax Ulysses, caudula vulpium,
Os Saccharatum, sed sine dextera,
Sunt monstra plusquàm Caspia.
Nec stant perenni commoda Patriæ
Innixa fulcro: quæ stetit, occidit
Lapsu pudendo gloria:
Ruunt colossi, pergama concidunt;
Pax subditorum ter lacrymabili
Procumbit ictu perdita.
Fœdè implicatur Gordius Imperii,
Nodósque nodis illigat improba
Mendaciorum vertebra.
Eclipsis inter sidera Consilî
Non una serpit: quin etiam occidunt
Quandóque luminaria
Majora, casu non reparabili;
Atque in ruinas se Phaëtontias
Cæco resolvunt impetu.
Tantum est, dolosis carbasa pandere
Ventis, & alto credere se mari:
Si præses absit VERITAS.

S. ERI-

S. ERICUS
REX SUECIÆ
Conſtantiâ clarus.

HUc, qui monſtra deſideras,
raram in terris avem,
album cernes corvum:
nihil tamen inſolens in ſeptentrione.
Nempe inter aulæ corruptelas rectum & tenacem propoſiti virum:
imò & hoc ipſo Regem.
Quidni enim Rex, qui poſuit metus?
flecti neſcius, prætérquam in melius.
ERICUS hic eſt,
Adamáſne, an vivum adamantinæ conſtantiæ ſimulacrum?
Sidus hoc Principum ſuccendit orbi Suecia:
quod ſolem dicerem,
nisì maculas juxta ignorâſſet, ac eclipſes.
Mirum verò tanti luminis patriam
etiamnum tenebris laborare.
Sed talparum, ac nycteridum hoc fatum eſt,
ut vel in meridie cæcutiant.
Erras autem, ſi lumini imputes, quod vitium eſt oculorum.
Natales etſi non ſereniſſimos,
illuſtriſſimos tamen habuit:
Regio ſtemmate, quanquam non Regibus natus.
Nec id ſine Numine:
ſive ne debere videretur ſanguini,
quod habiturus erat â virtute;
ſive ne hic ſol ortus in purpura,
fœdum procellis præſagiret meridiem:
meliùs occaſum martyrii accenſurus murice;
qui optatum tibi,
obvolute errorum umbris ſeptentrio,
poſtliminio manè parturiret.
Ergo in auras editus extra aulas,
virtutem privati laris incolam
non mirum, ſi feliciùs deprehendit.



Hujus ingressus academiam,
non citiùs evasit discipulus,
quàm Magister.
Docere potuit puer, quæ senes ignorabant;
& crepundiis erudire canos ad ruborem:
melior Philosophus in prætexta,
quàm in pallio nonnulli.
At ne desipuisse putes, dum præmaturè sapuit;
virili CONSTANTIA præcoces juventæ fructus condivit:
nihil ut immaturi saperent,
qui florem præverterunt.
Annorum cruditatem castigavit solertiâ,
nihil aggressus, quod non suis absolveret numeris.
Fatuos exosus ignes,
qui ad prodigium in ortu lucidi,
ut crescunt annis, sic â splendore degenerant,
dum tandem evanescant.
Meliùs Solem æmulatus:
qui oriens quidem pleno micat lumine;
sed ad occasum usque nihil â fulgoris majestate remittit.
Interim rege suo orbatur Suecia.
Quis hìc ambigat, subrogandum ERICUM?
certè vota omnium occupaverat,
vel ante comitia.
In CONSTANTIÆ tirocinio institutus ad sceptrum,
vel nesciens debitum fert,
si ab honore candidato ambiatur.
Postulatur ergo ad regnum:
imò regnum mutare jubetur,
antè Rex sui, nunc futurus & aliorum.
Quanquam & mansurus sui.
Servit enim potiùs, quàm imperat aliis,
qui sua excidit potestate.
Dignus regali apice nullius non calculo, præterquam suo:
at hoc ipso dignior, quia sic indignus.
Abnuit tamen ERICUS,
nunquam solitus placitis accedere vulgi,
utpote magistri levitatis.
Nec annuisset unquam,
nisì vocem populi intellexisset esse vocem DEI;
quam vel inter confusos dignovit strepitus,
tanquam unicè familiarem;
ut qui DEO quotidie colloqueretur.
Huic dum se subjicit, tertium meretur regnum:

imò & capessit.
Nam & Deo parere, regnare est.
Quo quidem de eventu ut nemo dubitet,
Coronâ, quam regni scutum exhibet, insignitum ternâ videat.
At verò solio illatus mutavit scenam, non personam,
perpetuâ virtutis CONSTANTIA:
quæ jam sub purpuræ involucro
ambitiosiùs etiam, quàm antè, se efferebat.
Cæterùm idem recta persequendi institutum Regi, quod privato.
Primus forsan ut esset,
in quo honor mores non mutârit,
ne in meliores quidem:
quia semper servârat optimos.
Princeps ei cura, ut genuinam veri Principis ideam expingeret:
ideóque omnem sceleris umbram declinavit:
nullâ humanæ censuræ curâ,
dum pingeret æternitati.
Effigies ad vanitatis aram appendendas
ejusmodi dehonestamento credens honestandas:
at imaginem in sacrario Divinitatis dedicandam
novo censens elaborandam artificio, absque umbris:
ut judici oculo supra solem lucido probetur.
Idcirco animum præcipuè obfirmavit in recto:
quò in sublimi locatus,
quod varii perflant turbines,
perstaret firmior à lapsu.
Voluptates procul habuit, ut blandas pestes:
probè gnarus, non alpes Hannibalem,
sed Campaniam enervâsse:
indignum autem esse, mentem, quæ vulgo emineat,
sterni telo tam vulgari.
Primum ergo edictum tulit in illecebras
dudum reas Majestatis:
quas & exilio mulctavit,
postquam tot imperia prodidissent.
Iisdem junxit Cupidinem profanæ Veneris cæcam pupillam.
Sive quia malè conveniunt majestas & amor;
sive quia metuebat regno;
cujus non rex, sed vel inquilinus esset iste puer.
At læsus amor abit in furorem:
& quia armatus est,
classicum canit in ERICUM.
Hunc ille ut expugnet hostem,
orditur pugnam à fuga:

ingens CONSTANTIÆ monumentum, dum non ſtat.
Quando tamen & decernendum cominus,
ne fortè ſemper fuga notaret ignaviam;
novo congreſſurus pugnandi genere,
glacialis aquæ cados jubet apparari.
Fallor, an Neronis revocaturus tempora,
Aqueum inſtruis amphitheatrum ERICE,
novam ſpectatori exhibiturus cœlo naumachiam?
an potiùs hic ille circus eſt,
in quem antagoniſtam Venerem provocas ad certamen,
ludos daturus verè olympicos?
Ita nimirum, ut quæ malè nata in undis,
undis extinguatur:
& cunæ dent, ſandapilam.
Quando eodem in fonte quærenda veneni antidota,
unde peſtis emanavit.
Sed actum agitur.
Nunquam ſe huic palæſtræ committet Venus:
quæ inimica frigori, nativíſque amica ardoribus,
& delicata pro ſexûs more,
mavult in pluma, quàm brûma, decertare.
Mergitur interim algentibus undis invictus pugil;
& toto ſe proluit corpore:
ſive ut Spartani æmulus roboris
hoc in Eurota induret artus in luctam;
ſive ut totus obrigeſcat in glaciem,
contra tentamenta voluptatis
tam lubricæ, quàm glaciatæ.
Quanquam ſi modò obriguiſſet in glaciem,
diſſolvi poterat ad ignes Cypridis:
nunc ad eoſdem etiam obfirmatur.
Ut Stygium amnem has undas dixerim;
quibus merſus Æacides melior
ignea Cupidinis tela ſine vulnere potuit excepiſſe.
Venus autem, dum non vincit, victa
palmam concedit, victoríque cedit.
Bene habet: viciſti ERICE,
ipſa hoſtis confeſſione ſuperior!
Nunc tuo in cado, velut eſſedo triumphali,
ipſe tibi æternum ſta trophæum
animi in voluptates obfirmati.
Novus, & melior Democles obtinuiſti â glacie,
quod hic ferventi quæſivit in aheno.
Utrúmque tamen ſi compono,

De-

Democlis victoria haud parùm ab aſcendente
non tam bullientis aquæ,
quàm vanæ gloriæ fumo obtenebratur:
tua verò in æmula cryſtalli glacie
ſinceræ mentis ſymbolo,
ſplendore geminato eluceſcit.
Meruiſti coronam:
nec aliam, quàm myrteam:
non tam quia cum Romano illo
rem geſſiſti ſine ſanguine;
quàm quia triumphas de Venere:
cui ſacra myrtus.
Quanquam jam ternis ſuo in inſigni
te Suecia coronis ornat:
Sive quòd mos eſt Belgarum populis,
triplici ſerto cingere Virgines;
ſive quòd uno in certamine
& profligâſti hoſtem tibi,
& ſervâſti civem cælo:
adeóque verus Imperator innumeris exemplo
parem ad victoriam præiviſti.
Cado nunc felici inſculpimus encomium.
Non ſolus Diogenes in dolio philoſophatur,
Cynicæ quondam palæſtra pervicaciæ:
Chriſtianæ jam gymnaſium evaſit CONSTANTIÆ
Rege magiſtro nobilitatum.
In hoc ERICUS aperuit ludum;
ex quo non verbis, ſed exemplis
voluptatis contemptum,
& ſanctam in illecebras docet obſtinationem.
Accede orbis, & diſce.
At non minùs contra aurea, quàm ignea tela,
animum exhibuit invictum.
Falleris Philippe: cujus ſententiâ nihil auro inexpugnabile.
ERICI animus eſt ille ſcopulus:
ad quem victrix hæc mundi machina naufragatur.
Inauditum populi ſuo cum Rege certamen ſpectavit Suecia,
dum ille opes nolenti obtrudit,
hic obtruſas volens reſpuit.
Utríque ad victoriam tantò rariore contendunt viâ;
quantò inſolentius eſt,
tributa ſibi imponere ſubditos,
& prohibere Reges.
At Gallicanum hunc Herculem conſtantior vicit ERICUS;

 re-

repulitque vincula tot cordium illigatione famosa.
Quamvis non eo, quo sperabat eventu.
Nam dum vectigal abnuit,
ad vectigal impulit:
sanctius tamen, quia non nummorum, sed animorum.
Interim stabit hæc invicto Principi laus:
Mentem illum gestâsse eo adamante obseratam;
quem olim nec imber aureus reclusisset.
Bene equidem.
Quis enim non indignè ferat,
auro Regem subjici, cui vel â subditis imperetur;
aut Divinæ potestatis æmulum damnari ad metalla?
Maluit soli similis esse Ericus:
cujus est, minoribus astris lucem concedere,
non ab iisdem mutuari.
Rejecit obtrusas opes:
ne confessione indigentiæ macularet purpuram;
aut certè, ne voluptatis admitteret incentiva:
qui voluptates dudum subegisset.
Gnarus, Romanis plus Asiæ divitias,
quàm Cannas, & Trebiam obfuisse:
eósque non hostium acinace,
sed opibus eorundem captis fuisse subrutos:
parvo discrimine, ferróne, an auro, juguleris.
Ericum verò domi tam fortem
quis miretur, non minus animi in hostes attulisse?
Nempe eruditum in umbra ad soles,
& inter domestica pericula victoriis peregrinis præludentem.
Ingens harum seges Finonum natio,
Prætoria tenebrarum principis acies:
eóque in ultimos seposita recessus aquilonis;
seu ut tueretur sedem imperii,
seu ut quondam inde emissa,
orbem iterum cultui dæmonum vindicaret.
Huic certè sacramento auctorata,
veri Numinis vel ipsum nomen aversabatur.
Nec aliis opus, ut hostem haberet Ericum:
qui nihil unquam oderat, præter scelera, & superstitionem.
Ergo inimicitias palàm professus,
quam it perditum, salutem offert genti:
victoriæ metam statuens hostium felicitatem.
Hanc ut recipiant, precibus rogat, etiam armatis.
Sed obstinata in malo impietas
indomita cervice obsistit:

fru-

fructu non alio, quàm ut flecti renuens frangeretur.
Iteratis ERICO colliditur præliis,
suâ quasi pertinaciâ CONSTANTIAM hujus esset expugnatura.
Saxa diceres impingi in chalybem:
nec vanè.
Mox enim illustrissimus fidei splendor emicuit:
quo illustrati barbari
colla non citiùs victori,
quàm Christo, supposuêre.
Lætitiâ tamen ERICO non integrâ:
qui lacrymis vel in triumpho madens,
infelicitati ingemuit eorum,
qui perire maluerunt, quàm salvari.
Adamantem hædorum sanguine eliquatum crederes.
Sed ô invidiam virtuti semper inimicam!
ERICI victoriæ quot hostes domuerant,
totidem excitârunt,
tantò quidem pejores, quantò familiariores.
Antesignanus omnium, nescio quæ ex orco furia, Magnus:
dignus hoc cognomento:
at non aliter, quàm æternâ per orbem famâ Herostratus.
Hic palmis cupressos destinat inspergere funestas,
& victoris gloriam ejusdem sanguine obliterare:
sic tamen etiam, & magìs, velut purpurisso illustraturus.
Divinis aderat pius Rex:
nec quære, an pro more.
Palmari sibi duxisset probro,
desultorio duntaxat cultu Numen venerari.
Quidquid egregium constat hoc de Principe,
id proprium vitæ totius decus est.
Sacris nondum peractis, atrox adest rumor,
imminere sicarios.
Dilabũntur cæteri: solus cum Christo perstat ERICUS:
ut qui ei meliùs, quàm Plato quondam Antimacho,
unus esset instar omnium.
Nec movetur enormitate periculi:
qui periculum omne dudum infra robur suum duceret:
ratus, ut scelus tuta etiam metuit,
sic virtuti nec inter discrimina trepidandum.
Perstrepit infestis armis vicinia:
non tamen stationem deserit,
aut pium obsequium abrumpit,
sanctior Protogenes,
manum non remoturus â tabula, vel in medio hostium;

dum

Dum absolvat opus.
Indignum Rege ratus, authorem esse operis imperfecti:
nisi fortè tumultus non advertit animum,
meliùs in cælos defixum:
aut novus Archimedes scribendo virtutis circulo intentus,
parùm pensi habuit, quid circa se ageretur.
Donec nefarius percussor ferro abrupit laborem,
imò consummavit:
& Ericum circulo beatæ inseruit æternitatis.
Quâ invidenda martyrii coronide
dum hæc Regalis constantiæ ornatur columna;
ipsa jam sibi augustius quovis alio
stat gloriæ monumentum.
Cui meliùs inscripserim,
quàm quo olim gloriabatur ille:
se non philosophandi priùs, quàm vivendi, finem fecisse.
Ericum vivendi finem fecisse cum virtute,
& quidem constantissima:
hoc est, etiamnum vivere:
Quando virtus vivit etiam post funera.



En-

NEC SISTUNT CURSUM, NEC STATIONE MOVENT.



Eximium celsæ decus est constantia mentis;
Quã nec blanda trahant, nec metuenda fugent.
Hoc & in Engonasi Tyrinthius exhibet Heros;
Et qui stagna levi vomere sulcat olor.
Consilio Princeps fortunam vincit utramq́ue;
Si sit in officio firmus ubiq́ue suo.

Encomium exegeticum Regiæ constantiæ.

AUdite Reges nil modicum brevi
Cantu monentem. Carmina rupibus
Audite scribenda, & futuris
Discite commemoranda sêclis.
Grande & decorum est, perpetuò sibi
Constare: nec ritu instabilis freti:
Rixante ventorum Senatû,
Assiduo trepidare motu.
Sed qualis alto sideribus tholo
Immista rupes: quam tumidus vagis
Neptunus amplexatur undis,
Et refluo mare pulsat æstu;
Quæ nec superbis quassa tumultibus
Injuriosi subruitur sali,
Nec irruente sævô aquarum
Marte latus superata cedit:
Semper sereno degere in otio,
Utcúnque tristi læta negotio
Fortuna vesanos tumultus
Agglomeret, variétque cursum.
Grande & decorum est, nil nimiùm spei,
Nihil timori cedere, nec truces
Ad impetus Divæ fugacis
Degeneri trepidare vultu.
Hoc nempe Reges in populo eminent
Mutando in horas: quem pavor & minæ
Spesque, & favoris cura fallax,
Ac fatui breve fulgur auri
Cogunt perennem ludere Protea.
Dum celsa clavis mens adamantinis
Stat fixa recto, vel ruinas
Intrepidè tuitura mundi.
Sic rebus æquam quisquis in arduis
Servare mentem, nec popularibus
Ventis moveri, nec frementis
Invidiæ potuit procellis

Cessisse, quovis cellior impetu,
Fatique jactu non superabili:
Et probra mentis fastuosæ
Ingenio superare doctus.
Is est, qui Olympo vertice non minor
Incedit, auras, & variantium
Transgressus arces nubilorum
Empyreæ regionis hospes:
Magnóque Divûm concilio inseri,
Utcunque mistus terrigenis agat,
Meretur, & summæ Deorum
proximus accubuisse sedi.
Sic nempè vultu Jupiter aspicit
Terras eodem semper inanium
Experte curarum, Gigantum
Sive furor minitetur Ossam;
Sive inquietas impia concitet
In arma gentes sanguineo ferox
Erynnis œstro, barbaríque
In rabidas furientur iras:
Ut regna clades obruat, & cruor
In stagna latè defluus, ac faces
Per arva bacchatæ nefandum
Objiciant oculis theatrum.
Terris superstat propositi tenax
Vir, cui serena ludus in obvias
Exire majestate mortes,
Atque truces hilari tyrannos
Terrere vultu. Qualis in ultima
Firmatus alto pectore Regulus
Tormenta, quò decus Quirinum
Assereret, patriæque honorem.
Ultro vetantes exilium Patres,
Flentésque natos, ut capitis minor,
A se removit, quando Byrsam
Egregius properavit exul.
Ubi & feroces Asdrubalis minas,
Crucémque, & ignes hoc animo tulit;
Quo proprios quondam triumphos,
Ac Equitum populique plausus.
Hac arte summi cælica Principes
Templa attigerunt. Quos merito haud minor
Constante qui planta sequetur,
Sidereo bibet ore nectar.

S. FER-

S. FERDINANDUS REX CASTELLÆ, ET LEGIONIS

Prudentiâ conſpicuus.

GRandia ſemper in occidente Nomina FERDINANDI,
non quòd Hiſpaniæ Grandium, & Alemanniæ Magnatum:
ſed Summorum Iberiæ Infantûm, Maximorum utriuſque Regum,
Quin etiam Imperatorum.
Quaſi lumina non occidua ſunt inter terrena Principum Numina,
in Horizonte gloriæ eminentioris.
In uno FERDINANDO hoc nomine Tertio, Caſtellæ, Legioniſque Rege,
plurium Iliadem, omnium Compendium obſtupuit Orbis.
Fuit in eo FERDINANDI I. Magni Regis regiarum magnitudo virtutum.
A FERDINANDO item Secundo, ſecundiores per bella adoreas,
imitatione magìs, quàm ſanguine,
Nepos Glorioſus ſibi fecit hæreditarias, & ſecundiſſimas.
Eadémque decora, ut â duobus nominis ſui Regibus hauſit:
ſic duplicato fœnore in quaternos ejuſdem nominis Hæredes & Nepotes,
Cæſareáque etiam coronâ clariſſimos
quàm feliciſſimè tranſmiſit:
ut vidit, & hodiedum videt AUSTRIA.
Inter hos tamen Planetas tanquam Sol,
inter Aquilas has tanquam Phœnix,
prærogativâ emicuit ſingulari:
quia in ſummo faſtigio, quàm rarum, tam clarum adeptus nomen Sancti.
Alphonſo Legionenſi Rege, & Berengariâ Alphonſi Caſtellæ Regis Filia
Parentibus Porphyrogenitus FERDINANDUS,
videri poterat â Patre nihil, omnia â Matre traxiſſe:
ità Ledam virtutum claram vivâ circumferebat imagine,
& Caſtor, & Pollux in ſeipſo ſibi.
Tantùm intereſt bonam habuiſſe matrem,
ut, licèt Heroum filius, non poſſis eſſe noxa.
FERDINANDI certè, ſi ullus uſpiam, partus ſecutus eſt uterum:
ut præſtantiſſimus præſtantiſſimâ naſceretur.
Ità, quod Blanca Galliis dedit in Ludovico ſeriùs;

hoc

hoc Berengaria Hiſpaniis bis, quia citiùs, contulit in FERDINANDO.
Par Nobile Fratrum, rectique, & virtutis amore Gemellum,
duabus tamen ſimillimâ virtute Sororibus,
diſpari tantùm temporis, & loci conditione prognatum.
Hæc DEI providentiſſima fuit Sapientia, & Æquitas,
ne alterutri Firmamento majora deforent luminaria.
In monte quopiam editus FERDINANDUS,
lucem vix accepit, & jam dedit.
Quidni faſtigiatæ Turres Iberiæ venerabundo geſtu
Solem ſuum per Occidentis juga primo mane refulgentem
ſalutarent, & adorarent?
Quantus olim futurus eſſet, nativa dictâſſe celſitudo viſa eſt
ex monte tanquam cathedra:
ne dubitari poſſet, nil humile, nil abjectum animo ſuſcepturum,
qui de monte, vix natus, etiam ſumma deſpexiſſet.
In vanum certè non parturiit hic mons Hiſpaniæ:
qũia generoſum Leonum Caſtellanorum Catulum in regio hoc fœtu dedit:
qui ſuam comprobavit originem ſatìs,
in montibus, & campis magno multorum bono Magnus.
Inter brachia Matris arctatus Infans tornatiles explicuit palmulas;
& necdum puer Patrem egit pauperum, vel â cunis.
Bullas è collo pendulas in egenorum turbam quaſi per ludum deflabat:
ut, quod magnos decet, nihili faciens ipſe bullas,
cuíque ſuas eſſe ſineret.
Quod ne frequentiùs actitaret, nummulis implenda erat manus;
quos in arentem mendiculorum terram puſio aureus deplueret,
Rhodios imitatus imbres.
Adoleſcentiam ingreſſus eſt ſinè pueritia;
adeo nihil pueriliter unquam egit:
ſupplente ætatem virtute ſenibus imitanda.
Lilium inter ſpinas vernantis ætatis illæſum retinuit,
raro in adoleſcentia floris prodiga prodigio.
Solis viam tenuit in erroneæ ætatis curſu:
cúmque non erraret cum ſtellis, correctore non eguit:
cùm labe careret, cenſuræ non ſubjacuit.
Ter ſenos numerans annos, ſenes annoſos eſt ſupergreſſus.
Fuit námque in eo ſenectus venerabilis morum, & cana PRUDENTIA.
Quæ cùm omnes raperet in ſtuporem,
Matrem Caſtellæ Reginam ita attraxit in amorem, ac æſtimationem;
ut digniùs eam efferri non poſſe crederet, quàm ad Solium Regium.
In Filium ergo transferens regnum, metaphoram fecit:
qualem olim in Perdiccam Alexander.
Vel ideo exactam, quia de loco proprio, in proprium etiam locũ PRUDENTIÆ:
in FERDINANDUM ſcilicet præſtantiſſimum, quia PRUDENTISSIMUM.

Rex

Rex jussus alium Rectorem, Imperatorem alium non requirebat:
Reginam Matrem admittebat.
Tùm, si unquam duos Soles Polus, regnantes duos regnum cepit.
Quamvis enim coronam posuerit Berengaria,
Coronæ curam nequaquam deposuit:
honorem mutans onere.
Neque FERDINANDUS, cùm Regem induit, Filium exuit:
ipsum etiam Diadema subjici, sceptrum incurvari voluit Matri,
totus ab ea, velut ex uberibus pendens in annum quartum, & vicesimum:
quò magìs roboraretur in Atlantem,
& Regni Olympo solus sustinendo par excresceret:
non ignarus, regna esse ingentia quædam onera,
quæ si imbecillis obveniant, mole sua in casum ferentes trahunt.
Sub illis vel Gigantes fatiscunt, nedum Pumiliones.
Novus Regni Sponsus Beatricem Philippi ex Duce Sueviæ Imperatoris,
& Mariæ Constantinopolitani Imperatoris Isaaci Filiæ Filiam,
eámque Friderici Secundi Romanorum Imperatoris Cognatam,
& tori, & regni Consortem sibi jungit ipso Divi Andreæ festo.
Crucem sibi despondisse putes, sed beatam in Beatrice:
quæ eum copiosâ beavit, & pulchrâ fecit prole Parentem.
Sed ut fluxa in terris solatia, nihilque ab omni parte beatum,
extinctâ Beatrice, Joannam Comitis Pontivi filiam
secundis nuptiis non minùs secundis adlegit,
lectissimæ sobolis lectissimus ex ea Pater.
Fidem, quam bis dedit conjugalem, ne semel vel minimùm dirupit:
semper boni, rectíque tenacissimus.
Nil contra quorundã Regum morẽ, licere sibi voluit, quàm quod deceret:
maximè regium æstimans, nulli servire voluptati;
& cupiditates magìs in potestate sua, quàm subditos, habere.
Regni gubernaculis, ut ditissimæ navis clavo gubernator, præsedit.
Ut enim huic opes, quas vehit, non superbiæ, sed curæ sunt materia;
ita regendi munus solicitum fecit, non elatum.
Sed utcúmque curas habeant invisas Reges;
minimè curarum, maximè coronarum
patiuntur invasores.
Et, quam Hercules supremo fine domari comperit,
in foribus ipsis occurrit labor, invidia:
hoc ipso majoribus, quòd hostem aliis postremum,
primum ipsi detriumphent.
Sic triumphavit FERDINANDUS,
cùm Rodericum de Camberiis refractarium clementiâ infregit;
Consalvum de Molina molientem plurima molli tractatione emollivit;
Didacum Lopez Biscayæ Dominum dominatum parantem,
adeóque malè meritum, dexteritate sua sibi optimè demeruit;

 Alva-

Alvari Comitis suscitatam seditionis flammam
ingentia novo Regno incendia minitantem
Prudenti sua, comíque virtute, affusâ velut frigidâ, sedavit:
cùm seculis non crederetur sopienda.
Quot priùs inimicos habuit, totidem sapientissimè effecit amicos,
comitate nempe, & suavitate morùm gravi;
quâ omnes facilè adamantinis Regi vinculis obligantur.
Timeri potuit perduellibus Vindex: Pater esse maluit:
ut ostenderet, bonum Principem nihil differre â bono Patre.
Amari, colíque majus Imperio duxit:
Supplicia multa nō minùs turpia Regi credens, quàm Medico multa funera.
At pepercerit licèt FERDINANDUS, non pepercit tamen DEUS:
ne licentia lædendi Deos terrestres
abiret in exemplum pessimum, & Superos invadendi.
Nam fere omnes gloriæ Regiæ invidentes
Ingloria morte ingloriam vitam, ut duxerunt, ita cum anima egerunt.
Conformantur siquidem sceleribus pœnæ:
ut matribus malis simillima sit soboles.
Quis verò miretur intestina illa diffidia?
cùm ipsa paterna Alphonsi viscera
in carnem suam FERDINANDUM movere bellum ausa.
Regni Castellani serenus Splendor, dum Parentis oculos perstrinxit,
invidia pœnè excæcavit.
Nulla tam modesta felicitas, quæ malignos invidentis oculos vitare possit.
Habent semper fortunati Antagonistam, cum quo luctentur, invidiam.
Rarissimus ille, qui inter mortales gloriâ livorem vincat,
etiam summa quæque petentem.
Pater Filium bello lacessit:
Regno ejus inhiat, cui suum daturus erat.
Quis non dicat jura naturæ violari?
Sed felicem Patrem!
Qui sibi ante conflictum â Filii pietate victoriam polliceri potuit.
Pius Filius!
Qui bellum, seu vinceretur, seu vinceret, ex æquo crudele abhorruit.
Offensus â Patre minimè infensus Patri,
ne Berengariam monentem offenderet, se contra Patrem tantùm defendit:
non minùs in Matrem reverens, ac in Patrem pius.
Arma itaque moventem Alphonsum armatâ precibus Epistolâ exarmat.
Ut verò in nullo non esset Filius,
Manlius alter, quò horridiorem habuit Patrem,
eò majori laude, ejusdem periculo subvenit:
dum ipsi perfidos per fidem restituit.
Sic Æneas alter è mediis seditionum flammis extulit Parentem.
Regia planè pietas, nisi Patre servato, servari nolle.

De-

Defensi Patris præmium, paternum tulisse Regnum diceres:
sed meruisse regnum, est regno majus.
Attamen â morte Patris, prudenti Matris institutione, impositus hæres
Maternum planè adiit.
Paterno doctus exemplo: fieri nonnunquam consuevisse;
ut, dum cupidiùs, quàm æquiùs, nova acquirere laboramus;
ea, quæ paravimus, in pœnam amittamus.
Alterius regno quisquis inhiat invidus, eum successorē patietur vel invitus.
Filiarum ex Tarasia Alphonsi Patris, regni potiùs Harpyiarum
ingluviem triginta millibus aureorum sapientissimè compressit:
aut certè pingui hac offa Cerberεam Regni famem extinxit Alcides alter.
Jam Regna Castellæ Avitum, & Maternum, Legionísque Paternum,
quæ virtute meruit sua,
non modò tuitus est juribus, sed viribus etiam effecit auctiora,
Rex semper Augustus.
Idque eò feliciùs, quòd, cùm augeret sua,
suis quoque semper adauxerit REGNUM CHRISTI.
Imò prudentissimè primas Religioni, Fideíque dedit:
ut secundas servaret sibi ditiones.
Basim nempe firmam, primámque Regnorum novit esse Religionem:
neque alium Imperii beatiorem proventum, quàm augmenta pietatis:
regiones item cum Religione stare, & cadere cum Religione.
Bella, quæ in armis Religiosus, religiosè elegit, Religionis fuêre:
fuisse sacra nullus ambigat.
Nam â Sancto, sub labaro sacrato, gladio consecrato, quot gesta,
contra Mauricam impietatem sunt confecta.
Nec infeliciter cedere potuerunt, quæ in causa DEI gerebantur.
Primum námque victoriæ auspicium est causa bona.
Ideo victorioso gladio non nisi victrices messuit lauros:
& quocunque manus tetendit, palmis palmas tenuit.
Quò se manus extenderint, è Gothico nomine Fer-din-handus omen lege:
& fatere: longas Regibus esse manus.
Illis imprimìs,
qui non libidine dominandi arma arripiunt, sed maximā gloriam ducunt,
si maximum DEO procurent Imperium;
qui munus suum credunt, latissimè cultum Christi promovere,
qui latiùs DEO imperare nolunt.
Cæsarem potentiâ, virtute Lucullum, magnitudine Pompejum
dicas FERDINANDUM;
nisi ei pro copioso milite exercitus fuissent præcipuè
confertissima exercitia pietatis, & precum.
At hoc ipso Maximis majorem habe.
Castella innumera, dum coronâ cinxit, lauro coronariâ verticem incinxit.
Oppida quot adiit, tot aut fame, aut famâ, aut Marte, aut arte,

Vi-

Victor perambulavit.
Celeberrimas in Regnis urbes, cum urbibus Regna
Argonense, Jaënse, Granatense, Beatiæ, Valentiæ, Murciæ,
cum Regnis Reges, aut in clientelam suscepit, aut vectigales reddidit.
Amicos amicè agendo auxit,
inimicos fecit, ut desinerent esse, etsi nollent.
Quoties cum hoste bellavit, toties debellavit.
Multis millibus capitum Mauricā hydram aperto, & occulto Marte minuit.
Frequenter vix visus ipse, jam victus hostis.
Tantùm valuit ad arma, inermis, minimè enervis pietas.
Hinc secula discant, indomitum nihil esse Pio.
Trajano Principe melior, Augusto felicior esse debuit.
Sic verum illud:
sola pietas Regibus sufficit ad salutem: adde, & victoriam.
Sine hac nullius sunt momenti Exercitus, robur imperii, & apparatus.
Neque rebus adeo secundis, quibus egregii quandóque Duces insolescunt,
elatus animo, novit parcere subjectis, & debellare superbos,
Amor simul, & Terror Hostium.
Reges Regnis eripuit, non Regna Regibus, eos in alia transferens:
quia æquè pulchrum judicavit, & vincere Reges, & facere.
Magnanimitati SAPIENTIAM sociavit, utrâque hostibus formidandus.
Nam fortitudo, quæ insipiens, est imbecilla.
Tantam SAPIENTIAM non potuit latere,
nullum majus boni imperii instrumentum esse bono Consiliario.
Circa se ergo habebat prudentissimos,
quos, ut consiliis meliùs consuleretur,
maluit consulere PRUDENTISSIMUS ipse Princeps.
A sancto Isidoro Hispalensis olim Ecclesiæ Pastore
de obsidenda Hispali monitus,
paruit sapienter Cœliti, ut ei Cœlum in cœptis obsecundaret,
& pro Astris bellanti Castra bearentur.
Obsidione arctâ omnia arctabantur, præter annonam,
cujus copia copiosam Mauris insultandi materiam præbuit.
Pons Trianæ ferreis nexibus firmiter connexus viam stravit commeatui;
prægrandis catena per Bætim tensa
spem propè intercipiendi victûs intercepit.
Remora hæc fuit unica Triumphi, sed mox removenda.
Navigia duo rumpendis vinculis destinata
nil nisi ventum adspirantem aspirabant.
Ergo in ventos impendit vota, fretúmque Rex sanctus triduo,
nullius præsentiam passus in tam secreto colloquio,
quod cum Cœlo inierat.
Novus Scipio, alter Annibal magìs divinitatis reverentiâ,
quàm vi, bella gerere voluit.

Et

Et verò tantum inerat in illa vera Cœli consuetudine momentum,
ut pileo cum Henrico Sueciæ Rege ad pileum inclusos carcere
ventos evocâsse videri posset;
nisi magnum iis emendis pretium preces obtulisset.
Die Inventionis sanctæ Crucis felicibus austris provehuntur
sericeis vexillatæ Crucibus naves.
In his Signis Constantinus Occidentis vincere debuit.
Hæc signa fuêre victoriæ certiora, ac in Prætoria,
Levino Consule Athenis opitulante nata Laurus.
Catena rumpitur, pons disiicitur.
Torquatum inficietur quis FERDINANDUM,
qui torquem Mauris Barbaris ad Bætim extorsit?
Machinas quascúnque hostiles non mediâ Medeâ,
sed Magistrâ VIRGINE DEI MATRE,
Sacratior Iason feliciter evertit.
Tredecim navium classe triginta navium classem devicit,
Æthere illi commilitante.
Igniariâ navi flammas, & excidium classi Christianæ minitante,
in fumum verò evanidum abeunte,
gratias tantas DEO, ac DIVÆ VIRGINI fudit,
ut totus extra se effunderetur in extasim.
Spiritum putâsses, ita nemini visus, ac omnia penetrans
ipsam subivit Hispalim.
Durante obsidione cum hoste plurimas, secũ ternas hebdomade qualibet,
cruentas flagro iniit velitationes, sui prodigus sanguinis.
Ad pugnandum loricatus incessit, sed thorace aculeato
ad infligenda sibi sua,
ut faciliùs aliena arceret vulnera.
Ita secum egit, ut ante arcem corporis sui,
quàm Hispalim urbem expugnare videretur.
Longiùs producta obsidione longanimis, & prudens magìs animum erexit.
Omnem belli aleam in Bellona sua
Icone Virginis â Regibus dicta collocavit.
Hanc cùm semper inter primos haberet ordines terribilem
ut Castrorum aciem ordinatam,
vinci non potuit in acie.
Semper, & ubiq; fortunatus extitit ab aurea hac fortuna nunquam dimissa.
Dicere veriùs, ac ille, potuit:
Equidem sum, quem Tu me fato quodam effecisti.
Tu enim, & Fatum meum es, & Fortuna.
Marianum hoc, non Trojanum Palladium capiundæ urbis omen fuit.
Nam festo sancti Clementis, Superûm clementiâ,
anno quadragesimo octavo seculi tertii, ac decimi,
â seculorum quinque, & ampliùs exantlata sub Mauris servitute,
O im-

impensâ sedecim mensium obsidione,
asserta tandem est libertati Sevilia â FERDINANDO.
Maurorum trecenta solo, centena salo millia possessis ita excessêre:
ut nunquam in veterem redierint possessionem.
Summæ mox turri Crux imposita nunquam talem exaltationis diem vidit.
Insigni hoc proposito apparuit, cui militârit, cui vicerit FERDINANDUS.
Triumphum dein egit, quo Occidens certavit Orienti;
& Oriens propè indoluit, se factum Occidentem.
Suæ quippe Exercituum Dominæ, cui debuit victoriam,
triumphalem instruxit currum.
In Capitolium ejus nomine sacrandum invectæ Comnenus Occidentis,
â pedibus iens nunquàm gloriosiùs,
quàm sic sine curru, triumphabundus incessit.
Verùm inter tanta miracula maximum fuit FERDINANDUS,
cui reliqua debebantur.
Prodigium enim summum Rex sanctus.
Tantus ejus sanctimoniæ splendor, etiam iniquum aliàs lucis Judicem,
Maurorum Principem in laudes excivit:
fieri nempe non potuisse, ut urbem Hispalim tam generosè defensam,
tanto incolarum numero constipatam,
exercitu tam exiguo vinceret alius, qàm Rex sanctus.
Quin omnis Arabum Natio,
si Romanis impressos Aquilis characteres in symbolum assumpsisset,
ac jactabunda interrogatione ænigma explicuisset:
Saracenorum Populo Quis Resistet:
responsionem re experta, verbis ipsa sibi, vel invitus Oedipus dare debuisset:
Sanctus Pius Que Rex.
Sanctitate nempe Reges magìs, quàm armis, profligant hostes Christi:
hæc ab illa robur, & animam sumunt.
Genuinum Ecclesiæ Romanæ Filium se probans, defensando Matrem
contra Fridericum secundum Imperatorem,
meruit in specialem cum Regno curam, & protectionem suscipi
ab Honorio Tertio summo in terris Patre.
Majora meritus est de minoribus Ecclesiis: quibus maxima contulit.
Burgensi, aliisque regiâ munificentiâ decorem restituit:
cathedrales Toletanam, Cordubensem, Jaënsem, Giennensem, Hispalensẽ
fundavit, erexit, dotavit:
semper magìs de Ecclesiarum, quàm urbium statu anxius.
Profana Arabum fana in sacra convertit odea,
spurcitiâ Mohometi omnibus liminibus eliminatâ.
Nullum oppidum, nullam civitatem bello sibi tributariam fecit;
ubi non famulum tributum, & aliquod pietatis monumentum statueret
erga pientissimam, & sibi dilectissimam DEI MATREM.
Pro infinita in hanc devotione, nullus ei finis excitandi templa:

quia

quia & hinc, & indè infinita, & æterna ſpectabantur.
Tantus cùm eſſet Fundator, ac Tutor Eccleſiarum,
Patronus in Saracenorum partibus eſt nominatus â Gregorio Nono.
Eccleſiis jura ſanctè ſervavit, Eccleſias juribus contra omnes injurias.
Beatius ſemper dare cenſuit,
quàm accipere quidquam aut Eccleſiis, aut Miniſtris earundem:
quamvis in Regnorum ejus ſalute, Religionis etiam ſtaret felicitas;
ſolius nimirum beneficentiæ theſaurum expertus inexhauſtum.
Maluit ab eis precum penſa, quàm pecuniarum expenſas,
orationes, quàm proventuum rationes, exigere:
illis, non his, in vota Cœlum flecti gnarus.
Captis urbibus prima ei cura, captivos Religioni parare animos.
Neminem non inimicum communem cum DEO habuit:
inimiciſſimus hæreticis fidei Catholicæ inimicis, ubicúnque hærentibus,
nullibi Regnorum ſuorum ſtationem, nedum ſedem figere paſſus.
Quos induratos comperit, flammis tradidit reſolvendos:
Ipſe ignem, & ligna ſceleribus ejuſmodi delendis aggeſſit.
Videri potuit ipſe pyram circumferre FERDINANDUS:
cùm tanto fidei, ejúſque cultûs tuendi, ac propagandi æſtu flagraret.
Quàm terribilis improbis, tam bonis fuit amabilis:
ut nec facilitas authoritatem, nec ſeveritas amorem diminuerit.
In pace, ſi quam habuit,
cui continuum cum hoſtibus, & vitiis, bellum;
Salomonem ſe præſtitit, PRUDENTIA cumprimis eminente.
Ne ſineret Regni, ut Maris eſſe conditionem,
ubi piſcium majorum minores explent ingluviem;
ex æquo cúique æquitatem diſpenſavit.
Conſtantiâ eminuit regiâ, omne cœptum glorioſo fine coronans:
animo fuit ſupra humana excelſo:
nullis proſperis potuit efferri, nullis dejici adverſis.
Regiæ Matris fatum doluit, non eſt lamentatus:
ſenſit lethum, ſed lætus:
velut Phœbus Phœbes Eclipſin intuens egit
perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum.
Mortalem ſe meminit genitum mortali.
LYCURGUS PRUDENS in civitatibus Politicum inſtituit ſtatum,
in ordinem confuſa diſpoſuit,
fundos diſtribuit, & Literatos advocavit:
militem ſtrenuum donis, populum annonâ,
cunctos dulcedine comitatis pellexit.
Graviſſimis bellis gravatus, nulli vel nummo emungendo gravis,
theſaurum ſuum cenſebat opulentiam Populorum.
Nec tondere, nec deglubere voluit optimus Paſtor.
Caſtra ejus clauſtra referre videbantur:

ita omni pietatis genere inter milites certatum gloriosè.
Virtutes ſub Duce virtutis Archetypo ſtipendia meruiſſe credas.
Hoc valet exemplum.
Rex namque eſt ingenium, & mores omnium:
ſitque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.
Fefellit non fatidicus, ſed falſidicus vates:
virtus, & ſumma poteſtas non coëunt;
quando in FERDINANDO utráque reſedit ita,
ut pulchro ab omnibus vocabulo nominaretur; REX VIRTUTIS.
Rex quóque felicitatis dici poterat:
ſi, qui alia omnia vicerat, Victor invidiæ, Victor hoſtium, Victor Sui,
& mortem vincere potuiſſet.
Imò ex fato quóque duro feliciſſimus:
ſiquidem vera eſt felicitas, felicitate æternùm felici dignum haberi.
In Africam igitur transfretare cupiens ad debellandos fidei hoſtes,
præmium tulit bonæ voluntatis.
Res enim intentione, ac incepto egregio, non irrito eventu DEO probantur.
Necdum ſolvit â littore, & dicere potuit felicior Julio Cæſare:
teneo te Cœleſtis Africa!
Omnia ad expeditionem inſtruxit:
ne Æternitatis iter iniret ſine apparatu:
quanquam omnis ejus vita in hunc terminum collineârit.
Exemplo moriendi ut eſſet, omnes de ſuis adeſſe voluit:
Alphonſo Filio cognomento Sapienti, & Primogenito ſapientiſſimus Parens
primùm benedicens, Regni, ac ſuorum curam tradidit:
Granatenſi Regi de reddenda Jaën urbe fidem ſervandam commendavit:
ut ad mortem usque probaret ſe fidelem.
Regni rebus compoſitis, totus incubuit in ſuas, rerũ tunc optimè ſatagens.
Pharmaca melioris, & vitæ, & ſalutis expetiit:
Diviniſſimi Hoſpitis Humanitati ter Maximæ reſponſurus,
è lecto obviam proceſſit.
Genibus, & cubitis terræ innixus Cœleſte Manna largiùs collegit.
Reſtim collo circumdedit, planè cœli captivum ſe profitens.
Indignum ſe reputans Hoſpite digniſſimo in voces erupit:
Domine! unde merui, ut venires ad me?
Cereum benedictum in manus ſumens ceu lampadem,
ut in vita, ita in morte fuit è numero PRUDENTUM.
Chriſto in Cruce pro ſe inclinato,
cui omnia vivus, ſeipſum moriturus inclinavit.
Tormenta Redemptoris ex ordine recenſens,
gratam rependit memoriam.
Crebris oſculis veneratus eſt in imagine DEUM:
quem mox oſculo Oris ſui dignaturus eſſet DEUS.
Magno dolore pectus percutiens

pec-

LUX, ET DUX SIT IN OMNIBUS ISTA.



Laudatur multis imitatus Protea Princeps:
Nec malè, si formas dictet amica fides.

Nam dolus, & fraudes, feralia scilicet astra,
Exitium Authori sæpe vel ipsa creant.

Ergo per ingenium prudentia sancta coronam
Dirigat in cursus, ut Cynosura, suos.

peccatorem ſe maximum dixit
ſceleris omnino purus:
veniam in nullo offendens ab omnibus oravit.
Fidem Catholicam, quam innumeris intulit oris, ore proteſtatus,
ut in ea ſemper vixit, vixiſſe voluit.
Regia indumenta â ſe auferri juſſit:
& ita depoſuit priùs ipſe Regem, quàm invitus â Morte deponeretur.
Bene nempe egit, geſsítque Perſonam in vitæ Theatro:
exuit ſuam meliori permutandam.
Sanctorum Societatem ſe vidit expectantem.
Poſt tantam enim in vita cum Divis familiaritatem,
quidni familiarem mereretur invitationem, & comitatum?
Magnæ cœli, terræque Dominæ, ut ſervus eſſet perpetuus;
etiam mortuus ad pedes ejus jacere voluit.
Clerum ſibi præſentem poſt Sanctorum Syllabum decantatum,
re undíque bene geſta, relatáque de ipſa morte victoria,
intonare juſſit hymnum Ambroſianum.
Uti ſanctam vitam obivit, ita obiit,
anno Regni, Chriſti quidem MCCLII. ſui verò XXXV.
die triceſima menſis Maii,
ut flos Regius in viridarium cœli tranſplantatus.
Hìc ſi ſtas Viator,
ſepulchrum, aut ſtatuam non aliam ſpecta, nec expecta;
niſi quam ſibi poſuit in vita, & eſſe voluit poſt fata Ferdinandus,
vitam immaculatam, & geſta:
quibus illa decoribus merentur præmia Reges.
Vitæ ejus integritatem poſt mortem loquitur integritas
â quadringentis annis incorrupta.
Sacris Hiſpaniarum Faſtis jam olim adſcriptus,
â Clemente decimo Sanctorum eſt inſcriptus Feſtis.
Officioſo in Cœlites jam Officium eſt decretum.
Pro aris plus, quàm focis, certanti
ad aras certatim etiamnum ſupplicatur.
Ergo luctum pone Hiſpalis
ſedes, & quies Ferdinandi!
Non dole amiſſum:
ſed de pignore tanto cœlis immiſſo tibi,
Juſtitiæ de Vindice,
Legibus de Solone,
Curiis de Catone,
de Oraculo conſiliis,
de Numa Religioni,
de Theodoſio Baſilicis,
Fidei orthodoxæ de Propugnatore acerrimo,

Hesperiæ Regno de Salomone SAPIENTISSIMO, PRUDENTISSIMOQUE,
Regibus de Prototypo virtutum absolutissimo,
Hispano-Austriaco, & Austriaco-Hispano Orbi
de LEOPOLDO Primo,
Augustissimo, Potentissimo, Invictissimo,
ROMANORUM IMPERATORE,
Et CAROLO II. MONARCHA HISPANIÆ, & Indiarum Serenissimo,
vivacissimis FERDINANDI sancti Ectypis,
Utríque DOMUI AUSTRIACÆ
de Augusta, dignáque Patre tanto Sobole,
JOSEPHO I.
ROMANORUM, HUNGARIÆQUE REGE
tot FERDINANDI Nomine clarorum
Cæsarum, ac Regum,
& hujus inter Majores cumprimis venerandi
NEPOTE quidem sero,
sed vero, & glorioso,
gratulare, & applaude.



Lux,

Encomium exegeticum Prudentiæ Regiæ.

VIrtutum Regina potens PRUDENTIA, ſummum
Regum decus, ſplendórque, quo Procerum ſuper
Ora levantur humo,
Semideûmque choro miſcentur: prima valentûm
Salúſque, fauſtitáſque regnorum, quibus
Gemmea ſeclâ datur
Largo haurire ſinu, hâc Divâ aurigante curules
Principis eburnos, ſimul & Auguſti flagrum
Imperii, arbitrio
Intorquente ſuo. Non turbo ferocior intra
Prognatus oras Imperî, iratas minas,
Tectivoráſque faces,
Fulmineóſque diu gladios impunè per urbes
Ejactat audax: flamma vel cinerum dolo
Seditioſa latens,
In cunis reſtincta chaos ſub PRINCIPE primum
PRUDENTE repetit, pacis adamato otio
Luxuriatur humus.
Exulat omne nefas regno, viret omnis honeſti
Copia, ſagaci Regius quando Solon
Jure, bonis meritas
Laudes, & claros apices decernit honorum:
Reis, Themiſta judice, admenſum malo
Supplicium. Medio
Si ſedeat Patrum Princeps Cato fortè Senatu,
Conſum immigrâſſe pectori, totum æſtimat
Concilium, è Tripode
Fundi verba putat, magìs aurêo pendet ab ore;
Ac Gallicani populus eloquio Viri;
Gloria quanta, decus,
Nomen, Majeſtas, & amor ſubnaſcitur indè
Animis ſuorum, terror & quantus, boni
Prô Superi! tumidis
Hoſtibus, obliquúmque tuentibus ore maligno
Incutitur horror. Scilicet Reges cato
Conſpicui ingenio
Inſtar magnetis ſubjectûm corda catenant,

Pectora inimicûm frigore inglaciant metûs,
Exanimántque gelu.
Munere centoculi si Rex adstringitur Argi,
Omnis chorea siderum virtus erit
Cætera; sed vigilans
Nocte, diéque oculus solertia præscia Regis,
Intenta rerum publico semper bono,
Et studiosa mali
Civibus arcendi. In specula, speculantur ab alto
Solio Archi-Nautæ providi, Martis truces,
Horrisonásque minas,
Et, longè positi, bellacis acinacis æstum
Sapiente frangunt robore: at si jam seges
Horrida inundet agros,
Nec pigri insanis armorum fluctibus, arma
Nec imparati, pace meditata aggerem
Objicient, rabidas
Victrici planta proculcabúntque procellas,
Almámque niveis advehent bigis Deam.
Talia regna decent
Reges, & tales regnorum frœna Monarchas,
Qui fronte Jani duplici insignes, sibi
Sceptra, mitras, populos,
Se Populis, Regnis, salvos præstare laborant.
Sic auspicatum Regibus cautis stetit
Imperium Solymes;
Incautis, levibúsque retrò Sors egit habenas
Aurea, nimísque triste successit chaos.
Consilium stabilit
Regnorum clavos; Regis mens indiga mentis
Eversa miserum sceptra sub jugum trahit:
Si tamen immerito
Stemmate clarandus, quem virtus Regia nescit,
Et non agrestûm potiùs addendus foro,
Orbi iterum tragicam,
Si detur, Phaëtontas equos agitare superbos,
Flebilè daturos fabulam. His vacua malis,
Atque soluta metu
Regna sub Austriacis captantia fascibus umbras
Placido quiescunt Morpheo: dum Industria
Consilio comes it.
Sic nempe Austriacum firmat Prudentia sceptrum,
Longéque fines semper Augusta evehit,
Indomitósque domat.

S. GUN-

S. GUNTRAMUS REX FRANCIÆ Magnificentiâ ſplendidus.

GUNTRAMUS non Lucinæ calculo,
ſed excelſo meritorum ſuffragio
Clotarii Magni Filius Maximus,
traduce Sereniſſimi ſanguinis privilegio hæres,
jure virtutis inſitæ prærogativo Galliarum Princeps,
Regnum Patris ſui
concordi Fratrum diſcordia in ſe diviſum obtinuit.
Nimirum hæret non tantùm
ſemper odoriferæ proxima ſpina roſæ;
ſed lilia quóque adverſi ut plurimùm ſentes ambiunt:
ubi dominandi ambitus in diverſas animos abducit ſententias.
Corrivalem gloriæ nemo facilè admittit æmulum;
quiſque tamen complures patitur: etſi nolit.
Oneroſa alteri alterius eſt felicitas:
illúmque premit maximè,
quem tangit minimè.
Unius in manu ſceptrum ſpina eſt in oculis aliorum:
quibus ad idem natura æquale jus decrevit.
Zelotypos regia dignitas ſuſtinet Procos;
nec uni jungitur ſine offenſa cæterorum:
ſi par in omnibus ſit ſanguinis conditio.
Ut individuum ſupremi honoris punctum comparetur;
etiam Gordium fraterni amoris vinculum non raró ſolvitur.
Hinc colliduntur capita, quæ concurrunt;
nec raró etiam franguntur:
dum convenire nequeunt eadem ſub corona.
GUNTRAMUS igitur charitatis ſervandæ,
quàm dignitatis conſequendæ,
ſancto ſtudio ambitioſior,
ingens Regnum Franciæ
in minora maluit ſubdiviſi Regna;
quàm Fratrum animos invicem conflatos
inimico ſolvi divortio, ac ſeparari.

Lapis etenim offensionis quandóque tollitur,
cùm inter meum, & tuum,
confiniorum limites, ut fas est, statuuntur.
Sors cæca justitiæ administra diremit litem:
dum GUNTRAMO Regnum attribuit Burgundionum,
Fratrum cuilibet suum reddens.
Cessant jurgia; ubi suo quisque potitur jure:
nec alieno inhiat, qui proprio satiatur.
Ut acceptam igitur teneret Regni potentiam,
fundavit illam solidè in SOLO DEO,
& pietatis basim jecit in cœlo:
quò violentæ hostium manus non possunt penetrare.
Cum Domino exercituum habiturus pacem æterno fœdere juratam,
in perpetuum illi omnes animi affectus tributarios fecit:
& nullo non loco, seu privato, seu publico,
devotæ mentis vectigal pependit accuratissimè.
Pacis conditiones statuit divinæ legis articulos:
quos prævaricatrix tamen subditorum rebellio
tantâ violaverat audaciâ;
ut vindicatricem scelerum Nemesim ad bella, & in flagella provocârint.
Consilium igitur quærendum vel maximè censuit in arena:
quò cœli æquissimè sævientis potentiam feliciter eluderet.
Et verò etiam reperit minimè pœnitendum:
dum ad pœnitentiæ cinerem confugiens
Ninivitarum Regis exemplo,
jejunia, & obsecrationes indixit populo, & sibi;
semetipsum humilians sub brachio Numinis præpotenti.
Uno námque pietatis stratagemate invicti vincuntur Superi:
quos impietatis bellum justam ad iracundiam provocavit.
Princeps Regni sui ornamentum honoris Divini existimavit cultum:
quem licentiosa morum fuligo ita reddiderat incultum;
ut præter apparentem nominis umbram,
fulgoris sui reliquum habuerit nihil.
Ad pristinam igitur formam religionis decorem studuit renovare:
&, quia opus hoc grande ad dextram spectare novit Excelsi;
Concilia convocavit Episcoporum,
quos peritissimos hujus rei artifices æstimavit.
Nihil hìc novi suo vel arbitrio, vel placito sanciri voluit:
sed vetera Patrum statuta in recentiorem petiit observantiam animari.
Festam Dominicæ diei lucem sacrilegi laboris eclipsi fuscatam
in debitum publicæ venerationis asseruit splendorem.
Infames ab erroribus disciplinas non ad vanam oculorum speciem,
sed cum radicibus, ne pullulare deinceps possent, evulsit sapienter.
Discrepantes Fidei sectas,

tan-

tanquam perniciosas Regni scissuras,
quàm salubri, tam sancto abominatus odio,
ubi exterminare potuit, omnem lapidem movit.
Libertatis Ecclesiasticæ Vindex eò fuit acrior;
quò eandem pluribus obnoxiam scivit incursibus Harpyiarum.
Idcirco effrænem militum licentiam severissimis cohibuit decretis:
ne bona sub jurisdictione Numinis constituta unquam invaderent.
Sacerdotes majorine amore, an reverentiâ fuerit prosecutus,
problema haud facili labore decidendum posteris reliquit.
Eorum consilia excepit ut oracula;
sententiâ quàm solidâ, tam firmâ persuasus,
omnem felicitatis eventum ab eorum sententia, & reverentia dependere.
Animus illi in quacúnque bellorum tempestate serenus,
in decumana Regni perturbatione compositus,
in rebus desperatis solo Deo nixus.
Par sibi in utráque fortuna, & simillimus:
quia utriúsque Dominus.
Prosperam, dum se insinuaret, tulit moderatè;
dextrè cum sinistra dimicare semper assuetus;
ad illatas sibi injurias quasi sensu destitutus,
lædi solùm visus est alienis.
Illas clauso velut oculo negligere potuit;
has rarò admodum dissimulavit.
In delicta severus,
in delinquentes mitis,
ita justitiam clementiâ temperavit:
ut neutri esset injurius, neutri quidquam detraheret.
Neque enim recusant marito sociari vinculo,
quantumvis inter se dissentire videantur,
rigor, & mansuetudo:
si pio in Principe inveniant sedem domicilii.
Priusquàm solium conscenderet regiæ dignitatis;
jam subditorum animos dulci quadam benevolentia occupaverat.
Hinc amari pronum erat ab omnibus, qui omnes prævenerat amando.
Ita verò etiam, quem timere nemo bonorum poterat,
illi nemo non timebat solicito semper amore vigil.
Et quia sinum erga omnes habebat apertum;
non est passus benignam ulli dextram esse clausam.
Liberalitatem itáque suo præfecit ærario dispensatricem,
quàm promptam, tam quóque MAGNIFICAM:
quæ beneficia non spargere, sed pleno sinu effundere videbatur.
Patrem siquidem se exhibere maluit, quàm Regem:
ne quispiam in Regno audiret orphanus,
aut se desertum quereretur.

Uti-

Utilissimum nempe genus Oeconomiæ, largum esse in egenos:
quibus quò plus impenditur,
eò amplioribus gazophylacium domesticum fortunis cumulatur.
Ita enim sua benefico refunditur munificentia;
ut semper, quod dedit, sit eo minus, quod recipit.
Quemadmodum enim flumina magna, sic & opes crescunt:
magisque se, ac largiùs diffundendo dilatant alveum, & abundant.
Hinc ad eum omnes tanquam ad beneficum, faustúmq; sidus advolabant:
nec ullus facilè repulsam tulit;
nisi qui accurrere noluit, aut segnis fuit.
Imò sæpius non rogata exuberabant beneficia:
quod indignam Principe MAGNIFICO censeret liberalitatem;
quam necesse sit precibus extorquere.
Regis, & Solis idem credebat esse officium.
Siquidem iste quidem se, etiam non poscentibus offert;
ille verò non petentium quóque necessitatibus consuevit subvenire.
Amittit enim plerúmque beneficii nomen beneficium;
nisi sponte, & impulsu proprio in aliorum incurrat amplexus;
tanquam in centrum animi liberalioris.
Portum dixisses GUNTRAMUM:
in quo fluctuantia miserorum vota, securè conquiescant;
& in fortunatas quandóque solvant Insulas.
Fontem credidisses esse publicum:
qui omnium siti semper, & gratìs paratus fuerit subvenire:
vel certè canalem pluribus DEI donis jugiter manantem;
in quo, quantum affluit, tantum effluit:
ut vel hac arte accipientes jungantur danti.
Ideo, quod privati erat Laris, publici fecit juris;
non ignarus, arcanum esse ex primis unum
fortunæ votorum anchorâ stabiliendæ:
eam quàm plurimis communem secum facere, quoad licet.
Unde & sordidam in Principe existimabat esse parsimoniam;
si seris frenatas asservaret opes ita;
ut sibi tantùm serviant, aut fortè nulli.
Assiduis munificentiæ impendiis distinxit ejus MAGNIFICENTIA dies;
ne otiosa forsan ulla elaberetur sinè linea:
utpote quam perditam fuisse credidisset.
Hinc cùm felices faceret plurimos,
felicitatem ipse suam augebat in immensum.
Nam summa Regis felicitas dici potest,
sparsisse beneficia magno numero.
Ex quibus nimirum, velut è semine jacto,
uberrima gloriæ, & rerum seges nasci solet.
Et verò quævis virtus Principis est aliqua participatio Divinitatis:

sed


ſed major indè portio eſt MAGNIFICA BENEFICENTIA;
quæ ſubditorum animos, naturâ cætera liberrimos, reddit ſibi vectigales.
Cùm itáque ſuis impenderet ſe totum,
ſuáque prodigâ penè liberalitate expenderet
Rex optimus, & ſanctæ MAGNIFICENTIÆ addictiſſimus;
Religioſam quóque Paupertatem,
quæ & ſeipſam facilè negligit,
non eſt paſſus incedere mendicam,
ultra metas inſtituti.
Extructa igitur ab aliis Cœnobia cenſibus dotavit annuis,
dotata verò auxit reditibus;
non ad neceſſitatem ſolùm,
ſed ad delicias uſque ordini convenientes.
Ipſe plurima, profuſis quaſi viſceribus charitatis,
vel è ruderibus excitavit, vel â fundamentis erexit:
quibus regiæ fortunæ opulentiam ex aſſe fecit tributariam.
Adeóque ſacro Davidis Zelo ardens
etiam pauperem in terris Deum pro viribus locupletare ſtuduit.
Eóque ſtudio habitationes totidem illi condidit;
quotquot magnificas extruxit Baſilicas MAGNIFICENTIÆ ſuæ teſtes:
eáſque non tantùm ſumptuoſo ædificii ſplendore admirandas,
ſed pretioſo etiam ſacræ ſupellectilis ornatu vel Cœlo invidendas.
Omnes Regni theſauros in Divorum Domicilia prodigere,
non luxum cenſuit prodigum, ſed ſacrum regalis MAGNIFICENTIÆ lucrum.
Aliam nominis immortalitatem vix ullam quæſivit avidiùs;
quàm hoſpitales, eáſque plurimas æterno Numini Eccleſias conſtruere.
Unum hoc gloriæ ſuæ monumentum ſupereſſe voluit Magnificentiſſimũ,
quòd ampliſſimo Chriſtum patrimonio ditâſſet.
Summam denique regiæ dignitatis pompam exiſtimavit,
in vivis hæredes habere Superos;
eorúmque cultu regni opes exhaurire.
Sed DEUS, qui hominum vinci ſe non patitur liberalitate,
viſus eſt cum GUNTRAMO mutuis certare officiis:
quando dormienti prodigioſum immiſit ſomnium;
Cujus intento velut digito locus abditi theſauri monſtrabatur.
Ne verò evigilans illuſum ſibi crederet â mendaci ſomno;
oculatum viſionis interpretem habuit armigerum in ſilvis aſſidentem.
Hic Argo circumſpectior,
cùm pro Domino ſolicitas obiret excubias,
parvam, nec viſam hactenus quadrupedem
ex dormientis ore Domini prodire vidit:
quæ in vicinam rupium cavernam properans,
fida latitantis theſauri proditrix anteceſſit.
GUNTRAMUS excuſſa ſenſuum compede, hiſtoriam fuiſſe intellexit;

quod ſub fabuloſa Morphei ſcena agebatur.
Hinc Dei inſtinctum potiùs,
quàm animalculi ſecutus veſtigia,
ingentem deprehendit aurifodinam:
eámque talem; in qua non crevit unquam ſed accrevit aurum.
Geſtiebat tam divitem liberalitatis venam divinitus oſtenſam ſibi
Rex munificentiſſimè Magnificus:
quâ ſuam deinceps fœnerandi artem ſanctiſſimè poſſet promovere.
Ne igitur otioſus ſinè lucro theſaurus deliteſceret;
partem illius munificâ iterum dexrâ diſtribuit in egenos:
reliquum verò ſacris in ædibus rependit Largitori ſuo:
plurimum ſibi ſuperfuturum in ſua autumans Magnificentia;
ſi omnibus tam ſanctè impenſis, nihil omnino remaneret.
Quoad vixit,
mutuum hoc liberalitatis certamen
cum Numine Guntramus habuit:
neque victoriam amiſit immortalitatis laureolâ coronandam;
licèt potentiori cedere coactus fuerit, & voluerit.
Occubuit, vel potiùs ortus eſt in gloria;
qui ſplenduit in Magnificentia:
relicto ſecuturis olim poſteris documento,
ſummam in munificentia Magnifica
ſitam eſſe regiæ dignitatis pompam, & exiſtimationem.
In gaudio demum, dulcíque fine quieſcens
cum luctuoſo totius Regni exinde inquieti ſenſu,
repoſitus eſt in Eccleſia Sancti Marcelli:
ubi viris Religioſis Monaſterium,
ſibi pacis condiderat Mauſoleum.
eIVs VIrtVs IbI proDIgIIs CLara
etIaM poſt fVnera VIVIt.



SPLEN-

Splendidior fit in omnibus ipse.



In Geminis geminata dies nil Solis honori
Demit; ſed geminum reddit & ipſa jubar.
Nam quò plus fundit ſplendoris in aſtra, vel orbē;
Plus recipit, centrum lucis ubique ſuæ.
Sic & Majeſtas reſplendet in omnibus; in quæ
Magnificè lucem digerit, ipſa magis.

Encomium exegeticum
Regiæ Magnificentiæ.

MAGNIFICUM populi Dominum decet esse, favore
Sortis jubentis sceptra qui rotat manu,
Et famulo dominatur orbi.
Extruat astriferis minitantia Pergama Cœlis,
Arces supinet rupibus Cœlo pares,
Quêis recubet dominans potestas.
Illicium Croesi rutilum dispergat Hydaspen,
Gazis profundat regiis undas Tagi,
Gemmicomis adamata Nymphis
In plebem jactet candentia munera Gangis.
Albescat aula regia argenti nive:
Innocuis radiata flammis
Auri fulgentis rutilent laquearia, Phœbo
Raptura lucem. Marmoris venas tegat
Assyrio peregrina fastu,
Quam pinxêre Phryges, gemmis circumdedit Indus,
Purpura laboris maximi. Regis thronum
Flammivomis radians pyropis
Circumstet festiva cohors, quæ regia jussa
Colat recurvo poplite, ut cives sciant
Imperii Dominum vereri.
Florens visurus regnum si prodeat aulâ,
Auro coruscum syrma famulantûm trahat,
Auricomus velut astra Phœbus.
Talem regna colent, prompti quóque jussa sequentur
Cum plebe summi nobiles: hostis furor
Non tumido petet ense jura.
Aurea sêcla fluent tali sub Principe, terram
Astræa viset, cincta virtutum globo,
Pax oleas revehet virentes.
Hunc niveis per amœna poli subvecta quadrigis
Populo verendum, regio dignum throno
Fama canet decimo nepoti.
Tot mater Regum lacrymis testatur Idume,
Fluxisse semper gemmeis tempus rotis,
Magnificas Salomon habenas
Dum regni tenuit. Tristi Bellona cupresso

Non texit urbes, ſanguinis ſtagno putri
Non Solymæ temeravit arces.
Spernebatur Onyx, pedibus ſubmiſit & aurum
Caput terendum, lucidâ argenti face
In radios abiêre frontes.
Sæpe peregrinæ mittebant munera Gentes,
Regni potentis colla flexerunt jugo,
Non domino ſuperata ferro.
Thurilegis cum claſſe volans Regina Sabæis
Per tot perîcla venit irati maris
Alloquio fruitura Regis:
Cujus MAGNIFICAM raris ſplendoribus aulam,
Diffuſa mundo fama reſonanti tubâ
Arabicis celebravit oris.
Majeſtate Ducum crevit Romana poteſtas;
Demeſſuítque gloriam, quando polis
Inſeruit parios coloſſos.
Pellæus Juvenis, valido qui fulmine belli
Percuſſit orbem; quando ſublimi throno
Veſte nitens radiante gemmis
Dictavit leges; captivum duxit amorem
Populi ſubacti: nec priùs curvo genu
Eſt Dominum veneratus orbis.
Sic eſt: MAGNIFICUM Regem comitantur honores;
Splendor venuſtat purpuræ, & ſceptri decus
Illicio rutilante civis
Ad ſe corda rapit. Turpi ſqualore notatum
Ridet jocando populus: aſſuetus pati
Delicias radiantis oſtri
Horreſcit tenebras. Animi ſplendoris inanes
Umbris coronas obtegunt: quando Pharon
MAGNIFICI ſuperant nitore.
At nuſquam tanto nitor iſte refulget honore;
Quàm quando ſacræ Numini turres caput
Sideribus rutilans propinant.
Scilicet ut prima eſt, poſt mœnia, gloria templis;
Sic iſta ſupplent prima murorum vices,
Incolumem retinendo Regem.
Quin etiam ſuperant. Nam nil ſinè Numine proſunt
Marmorea Regno ſepta; dum patulas DEUS
Per ſua Templa tuetur urbes.
Quòd ſi MAGNIFICUS conſurgat ſplendor utrinque;
Utrinque major gloria, & robur ſimul
MAGNIFICAS decorat CORONAS.

S. LA-

S. LADISLAUS REX HUNGARIÆ

Insignis Fortitudine.

CEssa queri de objecto forsan probro sterilitatis Hungaria;
quasi tam arido maritata seculo
viginti penè lustris parturire debueris:
ut illustrem Regiis virtutibus Principem,
parémque Stephano Regem, orbi pareres LADISLAUM,
hoc nomine quidem nulli secundum,
factis tamen publicâ famâ celebratis etiam Secundissimum.
Sterilitatem enim istam liberali fœcunditate compensavit cœlum;
cùm è tuo gremio tanta gloriæ eviruit palma;
sub cujus umbra Hungaria è carie vindicata refloruit in vigorem.
Crevit hic ultra staturam palmæ,
multis Regibus non ab humeris tantùm,
sed toto etiam cœlo major.
In quo virtutum decora velut radii
concrevêre in illustre corpus:
quæ in nonnullis Regibus stellarum instar evanuerant ad solis ortùm,
hoc est, ad lucem veritatis.
Et verò decuit Hungariæ horizonti tantum oriri solem:
ut tristem passa eclipsim sacra Religio,
velut Phœbe Phœbæo recreata vultu compleretur:
iisdem nempe cum eodem excepta cunis, & ad meridiem educata.
Utráque enim Numinis manus liberalem impendit operam,
ut LADISLAUM in perfectam Principis optimi ideam efformaret.
Quam licet imitarentur studiosè plurimi,
assecuti tamen vix non nisi uno pauciores.
Nec mirum:
quia alia lineamenta admisit nunquam,
nisi quæ illustrior virtus superinduceret.
Urgentibus Regni Proceribus Regium invitus inscendit solium:
ut largiùs subditorum prospiceret necessitati.
Utque supremus domina potestate prodesset infimis;
eandem obsequendo ut infimus, â servitute orditur.

Ita verò ſuſcepta explevit officia, ut officeret nemini,
prodeſſet omnibus, tanquam verus Patriæ Pater.
Naturæ bonitate exundans
ceu ſacro quopiam philtro uſus eſt in omnes:
dum beneficio, & amore omnium ſibi corda devinxit.
Inde prima ejus fama beneficiis inclaruit,
velut facibus prælatis.
A quibus ubi vixdum populus incaluerat:
continuò, ne egeſtate terra exareſceret,
totam liberalitate Regia inundavit.
Æmula nimirum Solis Majeſtas, ideo cæteris eminet,
ut eò majori gloria ſerviat univerſis.
Pupillorum & viduarum cauſas Aſtrææ bilance ita libravit;
ut illam ſolùm in pretio haberet æquus Judex,
quam non aurum, ſed æquitas inauráſſet.
Si quos tamen poſtulante id neceſſitate, juſtitiæ ferro tetigit;
per paucorum vulnera multorum ſanitati conſuluit:
ut mala privatorum publico ſervirent bono.
Emortuam ſubditorum pietatem ſuâ benignitate animabat:
quâ dum odia extinxit, communem ſuccendit amorem.
Utrínque verò unicus è vultu radius,
in quo Regia reſidebat Majeſtas,
uno fixit in centro multa ſubditorum corda.
Urbano affatu vel maximè urbanus
& urbanos excipiebat, & agreſtes:
ut nimirum urbes agris, & agros urbibus jungeret:
adeóque optandâ utrorúmque concordiâ
harmoniam Regno conciliaret ſuaviorem.
Sed quàm ſuavis aliis, tam ſibi gravis erat, & acerbus:
etſi leviſſimis uſus dapibus pro corpore,
ne animam redderet graviorem.
Nazaræum facilè dixiſſes:
ſi aſſiduum, ut erat, in templo vidiſſes.
Illic verò etiam acceſſit ad aras:
ut ſe flagris in victimam cæderet pro ſuis.
Quibus ut ſemper adeſſet vigil,
frequentiùs choro, quàm toro, incumbebat:
muſicâ frequenter etiam ſilente.
Ubi quànto inter orandum incendio arſerit,
flammæ teſtabantur, quæ Sancti corpus ambiebant.
Ab his ne membra fortè ſolverentur,
aut vanâ mens gloriâ amburereturt:
ſplendorem cinere ſepultum pœnitentiæ,
& carnis incentiva cilicio ſuppreſſa voluit.

Nul-

Nulla porro mentis evagatio oranti obsistebat:
nisi quæ ad cœlum raperet.
Illic autem inter negotia Regni distrahere se gaudebat,
ut vel inde proderet, ubi thesauros condidisset.
Qui ne quid paterentur, imò ut augerentur;
cor identidem ad Deum elevabat.
Atque adeò ut naturalem siderum cursum imitaretur;
eo rapiebatur centro, in quo acceperat ortum.
In hoc tamen singularis, aliísque clarior stellis:
quod procul abierit semper ab astro Veneris:
ut procul esset â nebulis.
Martis cœlibatum communi prætulit Lucinæ
casta castra secutus.
Et ideo ei semper candida in amplexus ruit victoria,
Quæ Paridis recusat dextram, Martémque muliebrem abominatur.
Duplici jure cœlibis hoc esto encomium:
ex terra cœleste fecit pomœrium castitas;
cœlíque inquilinam in terras Divinitatem traxit.
Effato certè veteri dixisset Plato Deum:
si vidisset connubio abstinentem.
Satis autem, & plus, quàm satis, esse potest:
quòd illecebras Cupidinis cæci Alexandrino contempserit oculo:
imò plùs, quàm Alexandrino, ne videre quidem voluerit;
quæ amatam possent excæcare puritatem.
Aures item non fato Niobes, at arte sua duraverat in saxum;
Si quando molliores fortè Sirenum cantilenæ personabant.
Divorum sanè virtus est,
Regios inter splendores non impeti his umbris:
quibus plurimi etiam extra aulas obscurantur.
Candor iste in violam plerúmque amethystinam desinebat:
quia modestâ sui demissione se custodiebat:
ne inter aulæ incendia fumos pateretur;
sed in tenebris insidiarum carbunculum imitaretur.
An autem â vino, quod germinat virgines,
eam imbiberit castimoniæ laudem;
an â Cerere Divinissima candorem?
Inter problemata discusserint virtutis hujus amantes.
Hæc famelico rerum Divinarum, fastidium induxit terrenorum:
hæc lacteam puritatis viam purpurato præbuit Regi.
Qui nunquam satur, nisi vel in cœlo, vel de cœlo,
pane nimirum vivo recreatus.
Unde quò plus edebat,
eò plura edebat virtutis opera.
Quo factum, ut cùm etiam unus in publicum prodiret,

vir-

virtutum exercitus in ipſo, quaſi Duce, collectus videretur.
Auro, quod hoſtium focis eripuit, patrias inauravit aras:
pretioſis manubiis, bellíque ruinis templa Deo pacis erexit.
Quantam verò in regno Dei amplitudinem pro futuro dimetiretur,
ex latifundiis terræ, quam Sacerdotiis deſtinabat, metire.
Eccleſiaſtico Capiti quadraginta Canonicorum addidit membra:
ſeptuaginta etiam templa, quaſi totidem propugnacula, erexit:
ut tota ſymmetria Regni â Religione conſurgeret,
ad divinos, humanóſque canones inſtructa.
Gladium acuit Gedeonis ad cotem virtutis, ubique conſtans,
in ſola honoris perſecutione fugitivus.
Sed dum unam Hungariæ fugit coronam,
in plurium devolvitur labyrinthum.
In his enim verè eſt labor intus
par etiam Herculi quandóque fatigando.
Ita ſui triumphans contemptu allicitur, dum deſpicitur honor:
ac verò etiam calcatus calcantem elevat in ſublime.
Integerrimus Rex in pretioſum trium coronarum, & pretioſam
Dalmatiæ, Slavoniæ, & Croatiæ abiit unionem.
Neque tamen à tot purpuris livorem traxit, ſed potiùs candorem auxit:
quo ſibi ſeptem Electorum calculos candidabat:
ut dignus ab iis haberetur, qui fieret Romani quóque Imperii Caput.
Uſque adeo illuſtris tot virtutum radiis evaſit frons LADISLAI;
ut eam ipſa Romana Majeſtas ambiverit in ſolium.
Sed coronam Imperii candido deprecatus animo,
in alium transferri purpuratum cupiebat:
dum ſat fuit, meritum eſſe id virtute;
quod non nulli quàm ſævo, tam irrito Marte quærunt.
Hoc ipſo tamen, imò & magis evaſit honorandus:
quòd ſummum fugerit honorem quietis amatæ deſiderio.
Coronæ námque Regum umbræ ſunt captantibus:
ultro ſequuntur fugientes, tanquam pediſſequæ virtutum.
Meritò autem tantæ virtutum affluentiæ
cùm adnataret Imperii diadema,
appuliſſet forſan & Petri navicula:
Si ſacer acceſſiſſet character, quem bonum publicum arcebat.
Ordinatiſſimus enim quò ad omnia Princeps
ad ordinem quóque ſacerdotalem aſpirabat.
Poſt Martios enim pulveres, mortis cineres mente revolvens,
ad Divorum anhelabat pulpita, æternitatis negotia tractaturus.
His adeo ſolidis virtutum gradibus
lucem auxit ſuam uſque ad perfectam diem.
Cujus ſerenitatem, cùm lividus Erebi oculus ferre non poſſet;
gravibus belli tempeſtatibus involvit.

Ex-

Excússa quippe aureo circulo Salomonis Fratris ambitio
ferreis & annulis, & erroribus intricatur, minimè fraterna.
Contra LADISLAUM exundante stomachatur bile Salomon,
rhabarbarum non tam sedandæ, quàm concitandæ bili
porrigente Cumanorum Podalyrio:
quo incensus magis, quàm sanatus,
flammis frequentibus & ferro
in visceribus Patriæ tumultuatur.
Sed raro felicem exitum sortiuntur bella, quæ bona causa destituit.
Nam post iterata prælia desertum ab omnibus,
inhumanum Principem ad desertum ire compulit bonus Frater:
ut sanctiore spiritu respiraret inter bestias humanior,
quàm spiraverat ferocior inter homines.
Copulchrus porro Regnorum helluo Hungariæ appetiit pomum:
cujus morsu non tantùm mens, sed & dentes illi stupuêre.
Plerúmque enim redit in auctorem scelus.
Cuthescus item ambitione, ac furore succensus,
obscurus Patriæ filius omnia succendebat:
ut per flammas offunderet fumos fuscandæ luci publicæ.
Hujus delirio ut iret obviam purpuratus Chiron LADISLAUS,
militari lanceola omnes ei venas incidi curat:
ut corruptus perduellione sanguis emitteretur.
Nunquam enim exarsit LADISLAUS,
nisi ubi hostium flammam extinguere coactus fuit.
Tunc enim nulli pepercit victimæ, quàm DEO non litâsset:
ferro nihil unquam persecutus, nisi quod erat ferum.
Acus Cumanorum Dux pallidam Copulchri trabeam
Regio LADISLAI ostro purpurare intendit:
at vacua purpuris in Hungariæ littore conchylia reperit,
non nisi suo, suorúmque sanguine replenda.
Ad frangendam acum securi usus Persica LADISLAUS,
hostem novo aggreditur argumento,
Scilicet in ferio, à majore ad minus.
Securitatem victoriæ à vibrata securi inchoat, adeo feliciter;
ut una tantùm acie securis prostrato Cumanorum Principe,
omnem hostium aciem conciderit.
In ramosum, & bardum impegerat truncum:
ac proinde priùs utendum erat securi, quàm ense.
Jacente infra Sonipedem capite,
Cumani à pedibus captant consilium:
& qui rem communem acu tangere volebant,
fracto Acu, fractas & ipsi sensêre vires.
Quanto vulnere hiaverit Acus, hinc collige:
quòd per foramen ejus integer exercitus

transſierit in partes LADISLAI.
Glorioſa ſimul, & ingenioſa fuit hæc victoria:
rem enim acu tetigit, cùm transfixit Acum.
Sed alterum ex altero bellum ſeritur;
& velut herba noxia ſemper ſe propagat ampliùs.
Beſſi nativum frigus armorum calore ſuccendunt:
in publicum erumpunt ſolem;
quos ad tenebras damnaverat natura.
Sed facilè ſtationibus ſuis expulit gentem,
quæ ſtare neſciebat aſſueta populationibus.
Dum verò prædatores Beſſos in prædam gloriæ coëgit;
Pan, & Ceres in ſolitudine caſtra metabantur.
Hîc ut vitâ detriumphatâ, victoriam coronent adoreis,
vitalia militum adoriuntur ſeu propugnacula, ſeu tabernacula.
LADISLAUS interea ſubſiſtit in genibus:
ne laureata militum FORTITUDO victrici ſuccumbat fami.
Utque in ſolitudine hoſti ſub viſceribus latenti reſiſtat,
præſidiarios vitæ ſuccurſus ſolicitat orando:
humaniſſimúmque humaniſſimo Regi cœlum ſubmittit feras.
Orpheum diceres:
qui ad ſuorum obſequia cervos, & bubalos induxit.
Jam verò convivantibus lautè militibus, & potus defuit:
cùm novus ſub Apolline novo Pegaſus
liberales ungulâ fontes propinat è veſtigio.
Ita inter martis tela, & mortis falcem bis luſit vitæ aleis:
ſemel in arena Martis,
ſemel in pulvere mortis.
Meridiem victoriarum in oriente ſic explicuit Græcis,
ut puniceam eorum artem aperto eluderet Marte.
Myſiam ingreſſus feliciter, Macedoniam reperit feliciùs.
Roxolanorum, & Ruthenorum fortunam occurrentem ſibi habuit:
ſed volubilem ejùs rotam cum toto exercitu in præceps egit.
Sclavones veniam â pedibus petere coëgit:
qui acephali tam acriter petebant caput.
Evagantibus Patriæ limites Tartaris præfixit terminos,
venatus palabundos ad fines Daciæ:
& qui ceu Leones funeſtum Regno minabantur Martem,
ut galeati lepores Mercurium pedibus prodidêre:
utque fugitivi ſaluti propriæ conſulerent,
inuſitata liberalitate aurum pro ſanguine propinârunt.
Ne verò aureis eorundem pedicis victoria tardaretur;
& fatuâ hâc auri luce in mortis tenebras exercitus deduceretur:
novam alchimiam è cœlo doctus LADISLAUS,
orationum flammis in lapides mutavit aurum.

ſe-

felix auri decoctor!
Hanc etenim pecuniarum dilapidationem
non vitium, sed virtutem dixeris è raris unam.
Ad hos lapides velut lydios
probavit aurum charitatis in Patriam, ac FORTITUDINIS:
obryzúmque comprobavit:
dum ab hoste barbaro suos liberavit.
Ex aurea hac semente immortalem gloriæ sibi messuit fructum:
quia post aurum non abiit,
nec speravit in pecuniæ thesauris;
sed in brachio forti fiduciam suam collocavit.
Quis non dicat aurea sub aureo Principe fluxisse secula?
Quo vivente aurum velut lutum calcabatur.
Post tot victorias, Martis calore succensus febriebat exercitus:
ita, ut de plurium vita conclamatum fuisset:
nisi sanctior Æsculapius lanceâ suâ venam liquoris aperuisset;
per quam grandis militiæ animus respiravit:
dum FORTITUDO Ducis etiam robori suorum vires auxit.
Verùm cui in arena aurea illustrior auro succreverat palma,
expertus est etiam in gelida Sarmatiæ bruma sibi succrevisse lauros:
dum astu candido candidissimus Princeps
candidis farinæ globulis
Capitolium Regni Cracoviam expugnavit.
Candidam sanè victoriam, quia sine sanguine!
Triumphanti in Polonia flammas excitârunt Moravi,
non triumphales equidem, sed Hungariæ funestas.
Fumum hunc nec aspectare bono dignatus oculo,
excitatum incendium hostilis diluvio cruoris restinxit.
Silesiorum aquilam facilè exanimavit, dum exarmavit.
Prona enim aureas cristas galeato inclinavit aucupi.
Ab aquilarum aucupio ad venationem descendere coactus,
leonem aggressus Boëmicum,
novus Hungariæ Hercules primo congressu feliciter superavit.
Confecto autem tot victoriarum Zodiaco, Sol coronatus
ex arena Martis domum regreditur:
ut aliquam FORTITUDINI suæ quietem indulgeret.
Sed non diu quietum esse licuit laborioso Principi;
qui in coronæ peripheria centrum quietis nusquam habuit:
quia medium illic punctum erat FORTITUDO.
Rogatus absque imperio, sacræ militiæ capessit Imperium:
ampliorem nempe campum heroæ menti.
Hoc illi muneris non Romani solùm cœli planetæ,
sed etiam omnia Christianæ sphæræ sidera detulêre:
ipsumque primæ magnitudinis in terris astrum

Ur-

Urbanus hoc nomine Secundus.
Ex quo non castrorum modò, sed & astrorum audiit Imperator:
cujus FORTITUDO secunda omnia spondere videbatur.
Sed ecce vix buccinâ classicum sacrum insonuit Mars,
jam receptui canere jubet amara mors.
Quæ nimiùm scilicet humana
in liminibus Moraviæ adventanti occurrit Regi:
& ne longæ expeditioni longiores innecteret moras,
Parcarum ministerio præcidit vitæ passum.
Sic ad Moraviæ flumina dolore oppressus extinguitur:
qui Solymææ arcis amore succensus ardebat:
& cùm sacri gloriam sepulchri erigere volebat,
fato spem præcipitante,
incidit in gloriæ sepulchrum suæ.
Ex quo tamen ipso splendorem illa concepit ampliorem:
quia inde & apud Superos consecuta plausum.
Neque enim illic ea, quâ de tot hostibus triumphavit victor,
sepulta est FORTITUDO.
Imò seipsâ major, & mortem ita superavit;
ut apertis per eandem illico portis,
sanctiorem Palæstinâ terram ingrederetur:
& in subilimiore Sionis Regia triumphans
trophæa sibi statueret sempiterna.



In

In utrumque paratus.



Horrida tempeſtas, ut cernis, utrinque minatur:
Anne etiam forti ſit metuenda viro?

Armis occurrit geminis in utrúmque paratus;
Et ſocios animans nil pavet iſte Leo.

Si robur pietas, & Crux comitabitur enſem;
Cordatæ manui laurea meſſis erit.

Encomium exegeticum
Regiæ Fortitudinis.

EVecti ſolium qui ſuper aureum
Frænant legibus orbem,
Mundi lumina Principes,
Sint FORTES ANIMO. Magnanimos decet
Reges eſſe, furori
Sortis, qui diademata.
Exponunt toties. Quid juvat Herculis
Si vis corpus obarmet,
Pelidem manus imbibat?
Dignum Meſſenîs Encelado latus
Mavors induat armis,
Si cervus ſedeat ſinu?
Bellonæ ſegetes, quæ caput obtegunt,
Stricti fulgetra ferri,
Et Mavortis acinaces:
Arcus cum clypeis, militis agmina
Ferri glandibus aura
Horrens, ſigna volantia
Non talem ſtimulant tingere purpuram
Hoſtis ſanguine fuſo.
Pallet mancipium metus,
Si Bellona cavis cornibus intonet.
Pulchræ culmina laudis
Lentus ſcandere pertimet,
Ut Martis viridem ſcindat adoream.
Inter fulmina belli
Altis montibus abditas
Exquirit latebras, queîs caput occulat.
Regis pectore regnans
Servo digna facit timor.
Fortunæ furiis ſubjacet Imperî
Pomum. Regna ruinas
Spectant, ſi lepus imperet.
Contrà magnanimus ſi ſolium premat
Princeps, mente paratus
Firmâ plurima perpeti,

Pro charis populis; Cæſare Julio,
Factis non minor eſſe:
Talis dignus, ut imperet.
Hunc non Imperio adnata licentia
Fœdo turbine verſat;
Nec laudum ſitis æmula
Urit non licitæ fulgure gloriæ.
Inter mille perîcla
Mentis poſſidet aream.
Turbarum vacuus perpetuò ſuus
Portat fronte coronam,
Nec ſortis metuit rotas.
Spargat fulmineis funera machinis;
Uultu ſemper eodem
Bellonæ excipiet minas.
Ridet, ſi patulis horrida rictibus
Iras evomat Arctos;
Oſſæ Pelion ingerat
Effuſus latebris Enceladi furor:
Belli turbo procellas
Volvat: rupe perennior
Stat CONSTANS ANIMO. Quem rigida arduos
Virtus munit ad auſus,
Inter ſtrata cadavera.
Terrarum Domitor Dux Macedo potens
Hac virtute decoras
Tot Regum trabeas tulit.
Romanis Aquilis Scipio Publius
Sævos perculit Afros,
Strinxit colla Numantiæ
Ductor magnanimus. Sic & amabilis
Princeps, gloria Regum,
Europæ jubar inclytum,
Gentes edomuit CAROLUS efferas
QUINTUS, regna triumphis
Ornans maxima plurimis.
Quàm magnis animis, diſcite poſteri.
Rex qui lora gubernat,
Auſus magnanimos amet.
Hâc virtute fluunt gemmea ſecula,
Regnum floret, & enſe
Sævus per jugulos furor
Non ſævit; niveis vecta jugalibus
Pax per compita, blandè
Mulcet pectora civium.

S. LUDOVICUS REX GALLIARUM

Magnitudine animi præcellens.

HUc talaria Mercuri.
Ad Principes delego.
Ludovici Franciæ Regis virtutes verè Regias Regibus refer:
& magna consilia transegisti.
Eccujus Ludovici?
Sancti.
Tu Magnum quóque deprædica,
quem nunc magnificat quàm firma, tam longa æternitas;
non fictilibus Colossis tempus, quod labitur;
quod fugiendo secum fugat, ac præcipitat omnia in suum chaos.
Magnum id nihil aut facit, aut patitur diuturnum;
nisi quod æternitatem spectat:
quia & ipsum est modicum, ac breve:
dúmque semper fluit, nunquam verè stat.
Cum tempore invidia derogat, & sæpius etiam veritas iis,
quæ sibi infaustus arrogat sæculi fastus.
Invidia quidem dentibus rem agit iniquis;
veritas oculis, & æquis.
Etsi verò dentes excusseris invidiæ, veritate tamen vindice,
quæ verè magna non sunt, nec diu dici magna possunt:
dicto citiùs, & ictu sclopi, quantumvis sonent, abeunt:
ut parvulorum bullæ, etsi repræsentent orbem, momento evanescunt.
Virtuti verò eminentiam suam, diminuere si velis, non potes:
quia nec eam sibi ademeris.
Hæc Sancti Ludovici prærogativa est.
Magnum, & sublime est; quidquid in eo consideres:
Parentes, animus, gesta.
Et quia medium obtinuit animus,
extrema quóque hoc ipso nexu majora evasêre.
Felices autem Parentes in uno Ludovico geminos genuisse videntur;
quòd pietati collactaneum, & coævum fecêre cælo.
Qua quidem sorte non tantùm binis,
sed pluribus par, & potior unus fuit.

Ni-

Nimirum
Parentes optimi tùm primùm ſe natis vitam dediſſe reputant;
cùm ſuos in iis mores cernunt reviruiſſe.
Nec ſolatio illis eſſe poteſt, ſi degenerare ſinant, generâſſe
Neque credunt ſe, ut par eſt, amare; niſi DEUM illis optent amicum.
Virtutis igitur hæredem potiùs, quàm ſanguinis voluêre
LUDOVICUS PATER, & BLANCHA MATER:
Auctorem verò Authorum, & Majoribus majorem
ex diphthera ſecretiore decrevit ipſum Numen.
Ut iis, â quibus vivendi originem traxit, & nomen,
ampliorem cum gloria vitam redderet in virtute ſua;
efficerétque communem ipſis cum ſua perennitatem.
Certiùs enim nonnunquam in Majores aſcendunt natorum merita,
quàm deſcendant in poſteros.
Quò autem ut aſcenderunt ſurſum, ſic deſcenderent etiam deorſum;
Primum, & optimè, jactum eſt fundamentum in educatione:
quæ ſi deficiat, operam & oleum perdidit natura.
Igitur Chriſtianiſſimo dignis & moribus, & literis ut imbueretur,
inſtituendus traditur iis;
quos jurata Deo Religio, cœlum probavit, & virtus,
non virus infecit damnoſæ Politicæ;
non depravati ſæculi mores corruperunt.
Hi, ne tacitis ſeſe inſinuarent viis in animum Sancti adoleſcentis,
cæleſtis magiſterii arte fieri debuit;
ut & primis, & reliquis annis in Innocentiæ ſinu conquieſceret:
excubante ad fores mentis Pietate, ac Timore Domini.
Ubi & Spiritus veritatis, ac diſciplinæ aditum omnem præcluſit
phylacteria ventilantibus vanitatis, & ambitionis Doctoribus.
Qui ut internâ corrupti tabe lilia,
vernantem tenerioris animi integritatem lædunt, vel afflatu.
Ex inſtitutione autem tam accuratâ
& ſumma liceat, & optima vaticinari:
imò verò etiam completâ jam ſpe intueri.
Id quod primi ſtatim anni annunciârunt:
ut fructus in flore ſpectaretur.
Curas enim partiri viſus eſt in curiis, accuratione ætatem ſuperante:
nec niſi conſilio Altiſſimi, juſtitiâ, & religione arbitrâ.
Utpote qui â teneris didicit,
quod â Patre luminum ex alto doctus erat, ut filius lucis.
In Regio Capitolio ut ſummum ipſe Caput,
memoranda fudit oracula:
quem Pallas, & Sapientia maturè erudivit,
ut velut ex tripode locutus videretur.
Neque inter ludos dubium reliquit LUDOVICUS:

lu-

ludum sibi aliquando fore.
Achillis lanceam, Persei clypeum,
scutum Hectoris, clavam Herculis.
Qui non creverat ad lyram Orphei,
nec Smindiridis indormierat plumis puer.
A teneris unguiculis Leonem collige, in generosos assurrecturum ausus;
cùm Dei hostes occurrerint.
Magnum, verbo, augurare in omnibus:
quem magnitudinis primo principio prima rudimenta dedicârunt.
Hinc ne mirare, quòd minor adhuc majora promeritus,
tarditatem, & moras annorum prævenerit indole,
& virtutis maturitate correxerit ætatis acerbitatem;
spe maxima utrinque bona promittente.
Ita natus, educatúsque ad magna animus ad magna parvum extulit;
coronæ aptavit, cordáque obtulit Regni Galliarum.
Succedit igitur emerito Patri duodennis natus,
novus Atlanti Alcides.
Non premet virum orbis Franciæ, quem puer in humeros reclinavit.
Pusillo corpore, jam magnis animis, & longis manibus,
sceptro unam porrigit ornandam,
cùm plures ferulæ castigandam.
Nil territus majestatem induit,
cùm aliqui prætextam exuere verentur.
Conscendit solium solis instar,
triumphum lucis claro in ortu disponentis:
intuitu nempe suo, ceu tenebras, omne malum dissipaturus.
Mox ad Auge properaturus, ad supremam cæli, nempe policiti, absidem.
Atque ita in majora semper sese porrexit sanctus Rex Ludovicus:
ut tanti mensuram nominis impleret.
Ut igitur cælo auspice
impavidus exerceret in alios vires, & animum,
adversùm se primùm sancta exeruit odia,
in majorem Numinis amorem transitura.
Ingentes ausus ut proferret in impios, & in gentes Deo invisas,
sibi subditus, sibi severus, sibi factus est & hostis.
Vim intulit genio, in rebelles motus animadvertens.
Etsic vitia castris exuit in semetipso,
tantò feliciùs, quantò devotior astris.
Iuventutis impetum, & nativos ad gloriæ ambitum ignes
restrinxit, non extinxit: ut servirent aliquando ad meliora.
Angustias omnes excussit amplissimo pectore
heroa Magnanimitas
nihil non augustum in augustale illud suum immittens.
Triumphos intra domesticos limites descripsit sibi copiosos:

trophæa ſtatuit plurima glorioſus Æmulator meliorum chariſmatum:
qui hoc modo animos, & apparatum ad ardua augere voluit:
nullam gloriæ non vanæ metam paſſurus.
Verâ nempe virtute:
quæ pati non poteſt, ſe claudi terminis, ut fabuloſa.
Sic autem in Regnum animæ pacem invexit,
ſui Victor, non tamen incruentus.
Ut enim tantò clariùs erubeſceret purpura majeſtatis,
ſanguinem exprimere flagris aſſuevit è corpore,
ſuus ipſe ſibi tyrannus:
ut aliis eò ſuavior eſſet Rex.
Neque enim ea frons LUDOVICO fuit;
ut emendatum vellet in aliis, quod necdum in ſe correctum vidiſſet.
Melior iis eſſe voluit, quibus præfuit:
ut convenire ſibi Regnum oſtenderet.
Optimè gnarus,
malè eum imperare, qui imperat tantùm, vel qui non ſibi.
Idem ſeipſo factus inferior, non tamen minor, imò major.
Quas enim aliis, & ſibi tulit leges:
ut exemplo Regio ſtatuta firmaret;
illúdque potiùs lex videretur, quàm ipſa.
Noverat enim, malè eum præcipere, qui non priùs inciperet.
Ut tantò ſecuriùs, æquiúſque plecteret impios,
curaret ſubditorum vitia,
veras Regni divitias probitatem induceret;
potior illi cura fuit Numinis, & pietatis:
nec ſæculi more ſibi probro duxit, eſſe probum.
Cœlitibus animo junctus è cœlo animos colligebat, ratus,
vitalem eſſe ſpiritum ferventem in Superos amorem:
quo labente labatur vita, cúmque vita felicitas.
Hinc virtute deſuper unitâ fortior,
expugnare in aliis impietatem aggreſſus
ſcelera ut non commiſit, ſic nec permiſit,
vindex acerrimus pravitatis.
Aulam ſuam auram eſſe voluit,
ſed quæ minimè corrupta pio mentis ad cœlum volatui ſerviret:
quæ aquilas, & columbas admitteret;
noctuas & veſpertiliones non pateretur.
In qua favorum, & gratiarum Zephyri ſpirarent iis tantùm,
qui Deum ſpirarent, & virtutem:
adulationum Apeliotæ locus, & libertas non eſſet.
Ita punivit crimina,
ut irritatus potiùs, quàm iratus videretur;
nec ſponte, ſed invitus in pœnas urgeri.

Am-

Amphiarai ferrum adhibuit.
Ex eadem cuſpide, quâ vulnerabat, medelam attulit.
ſemper tamen aſperior hoſtibus ſuis, id eſt, Numinis;
velut Hercules ferro & igni capitalia ſcelera retundebat.
Jovem imitatus,
ſeveris exemplis in montes etiam defulminabat,
Gigantum tumidè cælo inſultantium audaciam reprimendo.
Si quam blaſphema labia animæ labem inuſſerant,
cauterii pœnam iis conſtituit edicto quàm ſevero, tam æquo;
ut cautus quiſque, etiam nobilior eſſet;
ne in horrendas eas cautes contra cœlum erectas impingeret,
deplorandum nempe naufragium conſcientiæ perpeſſurus.
Quin obſtupeſce INGENTES ANIMOS LUDOVICI.
Iiſdem affligi doloribus, quos infligi aliis, cupiit,
ſi per id â purulenta illa atrociſſimi delicti ſanie Regnum perſanaret;
ad reddendam ſcilicet membris puritatem paratiſſimus,
cauterium ut Capiti inureretur.
En quantus Divinæ gloriæ vindex!
Non item ſuæ.
Pia fuit hæc ſævities, rigor non exaſperans.
Lenitatis ſpiritum non repreſſit illa ANIMI MAGNITUDO,
tantò ſeipsâ major,
quantò remotior ab altis ſuperbiæ, & vindictæ ſpiritibus.
Zelum, & diſcretionem attemperavit quàm optimè,
velut primas qualitates;
ex quibus coaluit felix illud LUDOVICI gubernium.
Manſuetudinem, atque modeſtiam
Fulcrum omnium regiarum virtutũ, & vinculum habuit felicitatis publicæ:
quæ labuntur, aut diffluunt, niſi eâ nixæ, niſi eâ nexæ.
Hinc pax, & communis lætitia ſibi conſtabat ſecurior.
Nec ubique ferire, nec ferre omnia voluit.
Rigida fuit, & fortis clementia;
clemens rigor, & fortitudo.
Securus magnitudinis ſuæ affectum hilarem inclinabat in omnes;
& qui deſpexerat neminem, ſuſpiciebatur ut Magnus â ſingulis,
in ipſa ſui demiſſione.
An verò ſuis tantùm hac benignitate chariſſimus?
Etiam hoſtibus.
Senior Aſſaſſinorum Arſacidas
æmulatione, & invidiâ in LUDOVICUM exarſit:
eoſdem ſicarios, quos nuncios, miſit,
& majeſtatis læſæ, dum lædendæ reos,
quos pacis interpretes.
Hic re probè agnitâ, diſſimulatâ tamen,

eoſ-

eosdem remittit munerum, & oleæ bajulos,
qui taxum feralem, & funera voluntate attulerant.
Sic regiâ munificentiâ dimittendo,
strinxit ampliùs, dum obstrinxit animos,
& MAGNUM silens ANIMUM demonstravit.
Eâdem ANIMI MAGNITUDINE Hugonem rebellem Marchiæ Comitem
Henrici Regis Angliæ, & Richardi fratris assistentiâ fretum
bonâ causâ triumphante devicit;
se tamen magis:
cùm Parenti, & Filio tàm facilis indulget veniam,
quàm difficiles eam illi petituri adveniunt.
Videlicet, iram antè vicit hic Fabius Maximus, quàm Annibalem.
Adeo nihil quidquam magnum est, nisi quod simul & placidum.
Non enim est magnus animus, quem incurvat injuria.
Minor est, etsi toto vertice supra vulgus emineat;
cui cæca ulciscendi cupiditas caput in præceps egit, eversâ ratione.
Ne verò minùs fortem, atque magnanimum
debellandis patriæ, & Christianæ reipublicæ hostibus
sese ostenderet Rex Christianissimus;
palmis dives domesticis, clementiâ & severitate obtentis,
exteras etiam inter gentes, & barbaros laureas quæsivit:
pacem ubi Regno peperit, & securitatem,
novam gloriæ accessionem novis facere triumphis aggressus.
Martialem in eo ardorem, & flammas suspice Empyreo haustas:
fatuos ignes, & ambitionem ne suspicare.
Dum expeditionem maximè arduam suscepisse percipis,
Nihil concipe non sublime, non maximè dignum Rege Galliarum.
Venerare modestiam in prosperitate,
moderamen in belli progressibus,
fortitudinem inter adversa,
inter desperata constantiam.
Si vanidâ victoriarum aurâ distendi felicium est,
non fuit LUDOVICI felicibus felicioris.
Si prosterni fortunæ ictibus, & consternari pusillorum est,
non fuit LUDOVICI Fortunæ Domini.
Illud mente persuasum habebat:
Jactantis id esse ingenii, & levissimi, ardore triumphandi,
ob lauream coronam, id est, folia infructuosa,
in discrimen, per incertos eventus certaminũ, securitatem civiũ præcipitare.
Hinc aliam sibi bellorum metam destinavit.
Grande latrocinium existimans,
inferre bella finitimis, & in cætera procedere;
ac populos sibi non molestos solâ regnandi cupiditate conterere.
Hinc procul â Patria, procul â finibus Christianorum, arma protrusit.

Expunxit & illud:
una, & vetus causa bellandi, Cupido Imperii, & divitiarum:
utpote qui cum Imperii quoque Romani insignia,
inclinante Principum affectu,
in se transferre â Friderico Secundo potuisset;
majore nimirum animo maluit,
arma in Saracenos convertere, & adire Palæstinam;
ut terram sanctam raro Principum, ac sæculorum ausu,
non tam sibi, quàm Deo recuperaret.
Deo igitur, & cœlo fretus
bonis ventis & avibus, freto se credit LUDOVICUS.
In Syriam primùm navigatur, & Cyprum.
In Societatem gloriæ Dux Burgundiæ sequitur:
occurrit Princeps Achajæ:
Rex Armeniæ suas offert, affertque copias:
quacúnque transit LUDOVICUS,
fœdera junguntur fœderibus, vires viribus, pectora pectoribus.
Proceres, & Ecclesiarum Capita undíque magnis animis addunt suos,
& majores efficiunt jurejurando.
Crux & gladius in mutua sese complectuntur obsequia.
Et ita MAGNITUDO ANIMI crescit undíque LUDOVICO,
fastus tamen omnis eliditur.
Magnum non dixeris, qui non alios aut facit ipse, aut patitur magnos:
dum nemo satis magnus est, is solus est.
Qui verò nimis Magnus esse cupit, impingit sæpius,
& fracto capite fit minor.
Juratus igitur ad omnem belli aleam maximo præit animo:
subit Ægyptum; evertit, everrit omnia:
terrâ, maríque victorem se quàm gloriosus, tam modestus circumfert;
tanquam suorum pectora unus omnium in se reclusa præferret.
Hostiles profligat triremes, fundit Barbaros, & in fugam agit,
Damiatam occupat, Pharamiam tendit,
denuo Saracenos in Nilum præcipitat.
Hactenus feliciter omnia.
Sed hem vices!
quas cum LUDOVICO DIVINA lusit PROVIDENTIA:
ut majoris offerret ansam lucri.
Pro magnitudine majestatis adest magnitudo calamitatis:
collectis repentè viribus, viribus audacior insurgit hostis,
velut Antæus â lapsu fortior,
victoribus victoriam erepturus.
Belli vertitur alea: non animus LUDOVICO.
Turbatis omnibus, copiosus Christianorum sanguis effunditur:
non confunditur, non turbatur EXCELSIOR ANIMUS LUDOVICI.

 Soli-

Solitum precationum pensum persolvere incipit,
cùm suorum manibus arma,
animi, animæque pectoribus excidunt:
quasi non inter suorum strages, & cadavera Nilo innatantia,
sed inter hortorum delicias, & topiaria sui securus inambularet.
Nempe, non imparatum pectus ærumnis gerit:
quia animo tam adversis, quàm prosperis majore.
Omnem fortunæ licentiam in oculis habuit semper,
tanquam quidquid potest facere, factura sit.
Quia verò non tam instabilem Deam, quàm DEUM fidelem observavit:
victor evaderet, aut victus & vinctus,
nil pensi habuit: ubi ita visum Superis.
Fugam facilem, & opportunam
præsens nec suasit occasio, nec animus, suus semper, & idem:
& si vel orbis ruina incumberet,
velut Atlas humeros suppositurus.
Noverat, fortes, & strenuos contra fortunam insistere spe;
timidos, & ignavos ad desperationem formidine properare.
Hinc Palladium illud scutum pectori appressit: non moveri.
Semper stabilis,
quia in DEO fixus.
Captivus igitur factus, non captus:
manus commodavit hostibus, non dedit;
DEO, sed soli vinctas obtulit.
Verùm & inter vincula libertatem servat, minimè servus.
Ut liberator, & servator suorum, & multorum evaderet,
& captivam captivus ipse deduceret captivitatem;
compedes injecit amor in suos.
Hinc detersit ignominiam vinculis
Regiæ, & inconcussæ mentis magnitudo:
& infame servi nomen obliteravit
animus fortis utriúsque dominus, ac magister.
Paciscitur cum Sultano LUDOVICUS:
fidem ab infideli emere adlaborat,
suo fœnore, illius jactura, etiam vitæ.
Hic enim ut malè in sortem suam oculatus videre,
ac spirare desiit, enectus â suis.
Faciles conditiones, quas iniit, sibi fecit pœnitendas, imò fatales,
LUDOVICO optatissimas.
Respirat hic cum suis quadringentis, quos è captivitate deducit,
duodena millia eliberaturus,
nisi à jurejurando gens perfida defecisset.
Sic est:
qui salutem suam DEO committunt,

præ-

præter opinionem è mediis emergunt periculis.
Thymus, amara licet herba, conficiendo servit melli;
sed & fructus apiculæ dulcis est, cujus aculeus est mordax.
Habet suum & adversitas mel, suam dulcedinem;
in quam se fortiter tolerata resolvit.
Liber igitur quinos perdurat annos in Syria LUDOVICUS,
non in pace, non otiosus,
quem ad pugnas, & labores virtus educavit.
Salutari pugnâ
infidelium animis expugnandis intentus erat assiduè.
Nisi otium quoddam dicere velis,
dum melior iste sylvis, saxísque trahendis Orpheus
lusit, pulsavítque lyram inter deserta,
ac disertus cicuravit feras verbo Divino, & rupes mollivit.
Dum castra, & urbes communiit,
Saracenósque veræ religionis legibus circumscripsit.
Vidisses ex Rege, & Duce militiæ Apostolum factum,
sic tamen, ut miles esse non desineret.
In Gallias tamen ut rediret, pietas monuit;
ut pientissimæ Matri filiali obsequio post fata parentaret.
Interea ibi
MAGNANIMI titulum magnifici, ac munifici nomine
non tam commutare visus, quàm augere:
quin & â suis audire meruit
Pater, Miserator, Fundator.
Non molles fundavit moles,
sed se dignas, firmas, magnificas.
Dotavit cœnobia,
erexit hospitalia,
& utráque proventibus auxit.
Cúmque fecisset plurima, fecisse tamen voluit videri nihil.
Quin ut suos in Regno plausus, sua beneficia non spectaret;
Sed exercitatam ANIMI MAGNITUDINEM ad majora denuo provocaret;
sui ac præteritorum non oblitus,
nec territus malis, quæ semel subierat,
in Syriam magnis ausibus relegit iter.
Usque adeo in terram sanctam Rex sanctus aspirabat!
Regno Tunetano potitus,
felicibus ventis, & velis ad usque Carthaginis portum victor provehitur.
Sed eodem itinere appellit ad portum æternitatis,
quo nullus illi magis in votis unquam fuerat.
Ubi manum Domini non ferientem, sed ad se trahentem exosculatus,
majoribus animis, quàm quos hucúsque circumtulit.
Pestiferâ lue corripitur exercitus, & cum exercitu Dux.
Ita

Ita Sepulchrum Dominicùm videre desiderat, suum obtinet:
& in optimo belli progressu requiescere in pace jubetur.
Obit, vel abit potiùs ad visionem pacis cœlestem;
cui hanc non novam Jerosolymam videre cœlum negaverat:
ut novam feliciùs intueretur.
Imò non potuit non coronare citiùs assumptos ejus labores,
ob exantlata pericula propè innumera,
sortem tam variam generosè contemptam,
fidei, & religionis gloriam mirè propagatam.
Sic sanctæ expeditioni multùm promotæ immortuus
magnos animos minimè sibi defuisse,
imò etiam abundâsse docuit.
Etsi enim, quod intendere videbatur,
non fuerit, aliud statuente cœlo, assecutus:
assecutus tamen, & eò amplius fuit,
quod reipsa intendebat.
Quia REGIA ANIMI MAGNITUDINE adlaboravit;
ut Magnus Maximi Numinis cultus fieret ubique major.
I nunc Caduceator Mercuri:
Principibus inde animos,
ut â Divinis exorti degeneres increpent,
torpentes, & jacentes erigant,
& omnia rectè, sanctéque faciant:
ANIMO UBIQUE MAGNO.
Hoc est, renovato LUDOVICI SANCTI exemplo pluribus imitando
Qui promptior aggressus est ardua, quàm meditatus;
fortia faciliùs egit, quàm dixit;
virtute, & factis egregiis, nec nisi regiis.
Pium, & fortem,
sanctum, & militem,
magnum, & humilem.
Virum altissimorum desideriorum,
& factorum minimè ambitiosorum.
Verbo,
Regem Christianissimum
in orbis theatro sine errore lusit,
spectaculum factus
DEO, Angelis, & hominibus.

ETIAM SIC TOLLOR IN ALTUM.



Rore favet Zephyrus, ſed grandine detonat Eur9:
Africus & Boreas nubila denſa vomunt.

Concutitur tellus non unam paſſa ruinam:
Abdunt ſe volucres, & nemora alta labant.

Major at his animus volucrum Reginam imitatur:
Et vel ſic propior ſuevit adeſſe Jovi.

Encomium exegeticum
Regiæ Magnanimitatis.

MAGNANIMI solus famam, nomẽnque meretur,
Quiſquis porrectæ virtutis ad ardua flammas
Altâ mente gerit; cui Jove dignior,
Et par Herculeis ſpiritibus vigor
Succrevit imis artubus;
Cui non terrores populi cor pectore magnum
Abripiunt, pulſántve ſinum rumoribus urbes,
Et vulgi ſtrepitu mobilis obviæ:
Dum fortes animos neſcit opinio
Verſare plebis infimæ.
Si Dea non ſtabilis funeſtis caſibus inſtet,
Audaci conſtat vultu, Tritonia qualem
Nunquam virgo oculis Martia legerit,
In ſaxi faciem Gorgone dum minax
Pallanta mutat eminus;
Aut videt ingenti mole immanem Polyphemum.
Nec qualis vel Lemnus erat, vel grandis Enipêus,
Cùm bella in Superos impia concitant,
Et montes tumidè montibus aggerunt,
Oſſam tegentes Pelio:
Talem ſe contra fortunam audentior urget
MAGNANIMUS, nullo ſortis penetrabilis ictu.
Vires ille ſuas erigit altiùs,
Cùm diverſa premunt fata periculis:
Ut palma creſcit pondere.
Aurea mente quies illi, moderatio fronte
Excubat eventu quovis. Nihil ira, timórve
Unquam præcipitant. Semper idem, ſuus
Semper. Continuat pulchra ſuperbia
Faciem ſereno lumine.
Fulmina non horret Martis genuina propago
Hectoris, & juvenis Pellæi ſanguine dives.
Nunquam debilitant horrida prælia,
Sed lauri uberior gloria provocat,
Quæ ſumma prodit, indolem.

Alea si belli nutet, milésque sub armis
Attonitus cessisse loco, non pellere pronus
Hostem, solliciti frigora pectoris,
Turbatásque metu non solito fibras
Fateatur ore pallido;
Vires MAGNANIMUS DUCTOR, vitámque reducit,
Ac velut arcano perfundens viscera succo,
Exemplo revocat robur ad impetum;
Iras exacuit vocibus entheis,
Ardens Leonis ignibus.
Non tamen in ferrum temerarius involat æstu
Indomito, cæcóque ferox ruit agmine in hostem,
Qui se quantus agat nescius. Occupat
Discrimen veniens consilio priùs,
Argo sagaci cautior.
Sic vinci se posse negat sapientior ausus,
Et certas geminat fortis prudentia palmas.
Nec lentè nimiùm, nec nimiùm citò
Affectus rapiunt MAGNANIMUM sui,
Moderante praxi spiritum.
PROPRIA REGNANTUM EST VIRTUS, HÆC NESCIA VINCI
VIS ANIMI, solidúmque crepans mens pectore grandi.
Audere intrepidè non temerè, ardua,
Undantis populi fluctibus & sono
Eripere celsum verticem,
Principe dignus honor, quem nulla pericula frangant,
Nulli dejiciant casus, terrórque metúsque;
Afflictis animos qui dare noverit,
Ac sortis doceat vulnera, funera
Forti cachinno temnere.
Hæc Fabios, Marióśque dedit miracula mundo;
Hæc magna æternis insculpsit nomina cedris
Divûm progenies, æmula siderum
Virtus, nobilitas maxima purpuræ
Factis triumphans inclytis.
Hæc pacem stabilit, conservat jura, coronas
Auget, & imperium solidis successibus implet.
Hæc solùm statuas, cláraque nomina
Firmat Principibus; nec sinit emori
Per fata Regum Spiritus.

S. OLAUS REX NORVEGIÆ

Justitiâ celebris.

HIc, ne temerario ad altiora saltu
abiret in præcipitium fortunæ;
per virtutes gradum sibi sternens ad fastigium,
Regium ascendit solium ea sorte:
ut in eo coronas ipse suis veriùs ornaret moribus,
quàm ab iisdem ornaretur.
Et verò vix fecerat initium vivendi;
cùm illico factum est principium gaudiorum inquilinis regni:
ut festus istis dies esset, qui natalis fuerat illi,
& ipsis errorum tenebris obductus
meridies illucesceret in aurora.
Non vanis enim præsenserant auguriis;
quòd is, cui mortalem ad tempus vitam Parentes dederant
generando, & educando;
subditis aliquando suis collaturus esset immortalem & ætrenam
precando, & instituendo.
Magnitudinis regiæ characteres, ut præcellens expresserat indoles,
jam ex parvuli vultu circumstantes legerunt; simul & viderunt,
in ea Symmetria naturæ Deum benigniùs collaborâsse:
eique, qui inter gentium errores natus, procul esset à Deo,
propiorem plura Deum bona contulisse.
Hinc festiva passim admurmuratione, ut Dei totus esset,
aulam personuêre voces illæ:
mendaces sint aliis, ut frequens fert naturæ lapsus,
frons, oculi, vultus;
in hoc, silente etiamnum lingua, sunt veritatis oracula:
futurum aliquando Principem,
in, & cum quo Respublica Norvegiana
pristinam resurrectura sit in libertatem.
Magnus ergo etiam in cunis dictus est inter suos, quantumvis cæcos.
Nec mirum: quia & oculatissimam, & maximam
habuit gerulam, providentissimi Numinis dextram:

&

& vel idcirco verè dextram,
quòd sinistra protoplasti maledicta dexterrimo favore submovit.
Quando maturiorem deinde suscepit in ulnas;
ac verò etiam in alienas extulit oras;
ut peccati ab origine contracti vires
feliciter eliderent apud extraneos:
& postliminio quàm candidum, tam justum in patriam referret.
Abiit enim DEO DUCE potiùs, quàm sortis casu, in Angliam:
& illic hospes peregrina inter decora
veram curiosiùs aspexit, ardentiúsque dilexit fidem.
Quam quidem postmodum despondit sibi;
cum Rothomagi sacris est ablutus undis:
& inde magno Antistitum sacrorum, & fidei præconum comitatu stipatus
suis induxit regionibus.
Quin & ipse sibi gloriosum duxit,
ùt ejusdem factus præco, in lucem plures assereret, ac veritatem.
Hos inter fuit & Asmundus Sueciæ Regis Filius:
quem ubi lucratus Christo,
ut Regius omnino Pædagogus principia docuit & regia, & meliora.
Ad virtutum quóque syntaxin è rudimentis evexit ita;
ut avitæ natalium claritati rectè facta construendo,
& ipse præmio se dignum supremo Agonothetæ comprobaret.
Tum verò etiam revocato Promethei astu,
quàm studiosè, tam sanctè, haustam è cælo flammam
torpentibus populi sui animis infudit.
Ut quos gelaverat in mortem exorbitans opinionum error,
vitalis per Christi fidem calor animaret.
Hæc ubi docuit erectos ad sidera tollere vultus,
& ad æterna mentes allexit:
eò primùm soliciti congessit animi curas;
ut rectam per leges viam edoceret.
Adeóque & verbo & facto strenuissimè adlaborabat;
ut secum sui ad Decalogi tabulas, & rudimenta sacra fidei,
antehac usitata scitè declinarent vitia;
neque sinistris unquam casibus exerrarent.
Atque ita supremum gubernationis suæ firmamentum statuens;
assiduum Numinis tuendi, colendíque studium;
& favores Cœlitum sibi, & accolarum benevolentiam suis conciliavit,
ad felicitatem utrobíque firmiorem.
Cui quidem & pondus, & alas adjecit SACRA THEMIS:
quæ velut majus inter astra luminare emicuit:
quando felix in hoc solis æmulus
& eundem se omnibus exhibuit;
& iniquitatis vel tenebras, vel spectra

æqui-

æquitatis luce propulſavit.
Unde bonis quidem omnibus charus,
neque ulli aut gravis, aut moleſtus fuit:
niſi ubi vel juſtitia odio, vel probro virtus habebatur.
Ad illatas ſibi offenſas iraſci neſcius,
adverſus injurias Deo irrogatas acer,
alios & ipſe non agnovit hoſtes; niſi quos DEUS & JUSTITIA averſaretur.
Hinc ut juſtum timuêre ſinguli;
quibus ut jus & fas, ita & Numen erat contemptui.
Nec pauci ad meliora revocati ſapuêre;
quibus æquitas non ſapiebat vindex.
Ita eadem, quæ terrori improbis, eſt ornamento Regibus JUSTITIA:
timere neſcia, quibus timenda ſit, monſtra,
ſuæ facit argumentum gloriæ, quidquid obluctatur virtuti.
Ad hanc ſe manutenendam videbatur ſæpius animâſſe
celebri illo Plutarchi effato, experientiâ quoque comprobato:
Abſque juſtitia principatum gerere nec Jovem quidem ipſum poſſe.
Neque verò ignorabat, quod divinus olim Sophorum Primipilus docuerat:
æquitatem proſperitatis eſſe fontem;
quo niſi reſpublica aſſiduè irrigetur,
non tantùm non florere, ſed ne virere quidem poſſit.
Hoc JUSTITIÆ reliquis animi dotibus adhærentis tenore
etiam ultra humanarum metas virium
victoriarum curſum extendiſſe videbatur:
dum Danos non tam potentiâ, quàm JUSTITIA,
adeóque non grave, ſed ſuave ſub jugum miſit.
Cùm verò à Sueonum Rege, fortiori longè adverſario,
conſumptus quaſi putaretur;
exortus eſt ut Lucifer inter nebulas glorioſus:
quando ex arcto maris ſinu, in quo concluſus hæſerat,
formoſiore vultu emerſit:
multiſque fulgidus manubiis in littore Norvegiano,
omnium bonorum applauſu viſus eſt reſplenduiſſe.
Sed & auctus iſte Splendor fuit,
cùm pars magna hoſtium ſuæ portas urbis ipſa recluſit,
feliciorem ſe, & rectè quidem, fore rata:
ſi tam juſto & æquo Principi
& animi regendi adyta, refixis contumaciæ ſeris, panderet:
utpote majores illico, ſacratioréſque gazas illaturo.
Regium Gothorum Caput ad ferienda pacis fœdera
non jam adegit armis, ſed JUSTITIÆ pellexit exemplo.
Habet enim hoc regiarum hæc virtutum Regina:
ut hoſtes etiam ſuos vel ſibi devinciat volentes, vel devincat nolentes.
Unde non defuêre,

qui victorias OLAI JUSTITIÆ debitas existimarent:
quòd ea potissimùm tum in Republica, tum in exercitu ejusdem
sarta tectâque perpetuò servaretur.
Ita námque factum,
ut exercitus ille non quietem tantùm inter suos retineret;
sed laureas cum eadem quóque plures ab hostibus reportaret.
Siquidem justâ pugnare manu, est semen jacere palmarum;
& inire prælia, est messem earundem consummare.
Iactantia fuerit militaris olim Sergii:
ferreâ se manu tot capiti suo laureas meruisse;
quot hostium capita detruncâsset:
OLAI modestia JUSTITIÆ tribuere potest libramento,
in præliis Domini ritè peractis
cum gloria se triumphâsse.
Nempe auream secum habuit manum;
quæ dum ad normam æquitatis,
attingit à fine ad finem fortiter, & suaviter disponit omnia;
totum versat, & circumplectitur orbem.
Verùm unde egressa est in campum,
eò triumphatrix revertatur
JUSTITIA OLAI GLORIOSA.
Confectis quippe bellis, veteres resumpsit sedulus curas domi:
ut nihil in Republica metuerent innocentes;
nocentes verò, ut par est, haberent etiam, quod formidarent.
Æqua etenim semper lance
& divitum pariter & pauperum seu delicta, seu merita ponderabat;
asseverare solitus, tam his, quàm illis præmia deberi sua.
Ne scilicet legum texta fierent similia araneorum telis;
quæ muscas quidem attinere soleant, avibus ultrò cedant.
Quod equidem, si quando casus ferat,
ut potentioribus liceat, quod libet,
censuráque, quæ vexat iniqua columbas, absolvat corvos;
certam cum legibus, ac tribunalibus ruinam
etiam regnis imminere, non ignorabat.
Siquidem haud fallat axioma, quo monemur:
Respublicas non tam peccatis, & hominum lapsibus collabascere,
quàm delinquentium impunitate.
Quia verò plurium caput esse delictorum solet superstitio;
initium pœnæ sumpsit ab ariolis,
& horum sociis incantatoribus.
Quos, ne virus in plures possent suum, ut assolent, erivare,
ut pestis hæc meretur, ejecit regno omnes.
Contumaciores verò, quos deprehendit,
addixit flammis:

ut

ut nempe digna ignis merces esset iis,
qui fumos inter cineres vendidissent.
Verùm ut missa sint alia de aliis,
certantem secum in ipsomet justITIAM,
ac verò etiam victricem videamus.
Bacillum fortè tantisper immemor Ecclesiasticæ legis
festo die nudaverat cortice OLAUS;
qua de causa, nihil refert meminisse,
effectu tamen certè cumprimis memorando.
Monitus quippe, memoriâ legem refricante,
severas ejusdem neglectæ pœnas illico sumpsit;
& in suamet ipse manu observantiam sanctè vindicavit:
quando recisas in eadem assulas incendi voluit.
Ut nempe, quod in umbris memoriæ perpetratum fuerat,
luculentiùs expiaretur in igne.
Ac forsan etiam præludium hoc fuit;
ut qui justitiam exercendo in se perfecerat,
eandem per alienam iniquitatem tolerando
ad merita sublevaret amplıora.
Interea námque per consuetas orco technas invaluit
Proceribus quibúsdam ducibus impietas.
Quo factum, ut membra malè affecta
periculum afferrent Capiti;
illúdque cum justitia proscriptum regno vellent.
Stabat has inter procellas, & turbines iniquitatis,
inter tela, & fulmina improborum,
inter sceptri ruinas, & famæ naufragia,
inconcussa Regis magnanimi pietas;
& coronam potiùs, quàm æquitatem, dimittere parata,
excessit in exilium non invita:
ut vel sic integra perseveraret.
Ubi & inter adversæ arietes fortunæ firmus,
ut virtutem centro stabiliret suo;
affixit IMMOBILI eam DEO;
utque perennem efficeret, IMMORTALI, ac æterno.
Et vel hac arte firmavit solium,
etiam extra regnum.
Quamvis & in id revocatus postliminio,
quia JUSTITIAM secum reduxit SUAM,
iniquis meta factus est furoris;
ut per eorum jacula DEO fieret scopus amoris.
Insurrexêre in eum Dani audaciores,
Servi tum iniquitatis:
quò justitiam, ut putabant, cum justo tollerent.

Ob-

Obstitit & Rex initio solers, ac fortis,
& in arma se paravit.
Cùm verò castra movere cæpit animosus,
res mira, scalam videt inscendendo paratam cœlo,
quò dum conatur eniti,
expergefactus à legato se detractum cœlo credit,
ac verò etiam tristis plorat.
Neque tamen ereptum erat votis cœlum,
quod facta sibi pridem obligârant.
Siquidem JUSTITIÆ causâ iniquè proditus â suis,
in prælio cecidit inter hostes.
Imò cùm cecidit, surrexit,
quia Martyr;
hoc ipso nomine gloriosus.
Felix, qui sinistra passus pro JUSTITIA,
secundam sibi fixit fortunam
in æternitate beata!
Illatus huic est quarto calendas Augusti,
hoc est, sole ASTRÆAM respiciente:
ut vel moriens in virgineo JUSTITIÆ
semper amatæ gremio requiesceret.



Quis

QUISQUE SUŪ PRÆSTET, QUISQUE SUŪ ACCIPIAT.



Id melos eſt auri, quod mel ſolet eſſe palato:
Sed mentem recreat juſtitia una magis.
Muſica cuiq́ue ſuas diſponit in organa partes:
Cuiq́ue ſuum, ut fas eſt, juſtitia attribuit.
Illam Phonaſcus, Princeps hanc dirigit: & ſic
Concentus concors hos, alioſq́ue beat.

Encomium exegeticum Justitiæ Regiæ.

SAlve ſacra Themis, clarum claræ decus aulæ:
In qua, ſereno quaſi polo,
Sidus amabile agis.
Sidus conſtanti ſemper fulgore beatum,
Et auſpicati luminis
Omnia flore beans.
Sub radiis fortuna tuis viget inclyta regni,
Et albicante calculo
Signat amica dies.
Sic ventos cœlo virtus in vela ſecundos,
Fovendo jura pellicit;
Sorte regente ratim.
Sic pax alma viret, civéſque in pace quieti
Sceptri ſub umbra candido
Principem amore colunt.
Sic plures etiam plantat victoria palmas
Adverſus hoſtes patriæ,
Eumenidúmque faces.
Sic procul uſuræ, cædes, & furta fugantur;
Nec eſt rapinis, fraudibus,
Luxuriæq́ue locus.
Præmia virtutem lactant, & crimina pœnæ
Eliminata ſupprimunt:
Integra jura virent:
Exilium vitiis indictum ſervat honorem
Regno, regenti gloriam,
Omnibus omne decus.
Annè ergo eſſe poteſt quidquam felicius aulâ,
Ubi ſceptra verſat æquitas,
Conſtabilita throno?
Audax fortunæ, Superis tenor æquus amatur:
Qui cuncta juſto pondere
Librat, is aſtra ſapit.
Atlas imperii Princeps eſt, atq́ue columna:
Sed firma juſti Principis
Eſt baſis ipſe Deus.

NUMINE JUSTITIÆ cunctorum corda trahuntur:
Civis ut in hostes Principis
Exerat arma sui:
Ut lex tranquillâ multis dominetur in urbe
Lustris; amórque mutuus
Regis in obsequia
Conglomeret vires, prompto sua pensa labore
Reddens; ut arbos limpido
Fonte rigata solet.
Sic faustis avibus Princeps velut alter Iason
Quieta tranat æquora, &
Ditior inde redit.
Dum Themis ipsa vices naucleri suscipit, alni
Argivæ habenas dirigens,
Dispiciénsque vias.
Hinc inter fluctus etiam succrescere laurus
Assolet olivæ proxima,
Perpetuæque cedro.
Nil regni Diadema timet, nil sceptra pavescunt,
Nec sacra languet purpura,
Regificúmque decus.
Námque ubi jus fulcit regna, Augustóque refulget
IUSTITIA amata Cynthio;
Non premit umbra jubar.
Contrà ubi subverso hoc fulcro, diadema labascit;
Eclipsis umbræ jungitur,
Et tenebrescit honos.
Quot non sceptra manu, quot non diademata fronte
Cecidêre; dum æquilibrio
IUSTITIÆ exciderent.
Hoc lapsu nulli quidquam funestius aulæ:
Nam rectè agendi regula
Insuper ipsa cadit.
Hinc jus omne procul, immania crimina visu
Portenta superant, Herculis
Vix abolenda manu.
Iuri naturæ fieri contraria cernes,
Adversa multa legibus,
Plura timenda bonis.
Ergo qui regni moderatur fræna virentis,
Periculosæ huic aleæ
Subtrahat ille manus.
IUSTITIAM solio secum veneretur eodem:
Ut & coronas Principi
Servet amata suas.

S. OSWALDUS REX ANGLIÆ
Liberalitate dives.

NE mirare, viator, si videas
Masserfeldiani campi insolitam venustatem.
Natura huc suas collegit vires,
ut magno Regi Oswaldo magnificum adornaret Mausoleum.
Utpote qui insolitum ejus extitit ornamentum,
non tamen artificio naturæ,
sed gratiæ illius limites multis gradibus transcendentis.
Verùm, ne forsan anceps hæreas in campo;
ab agri tantisper virore regressus
ad Oswaldi decorem oculos reflecte;
& arcanam supernæ in eo Providentiæ vim demirare.
Nam ut eum triumphantem quondam Patrium attolleret in solium,
tenerum adhuc, & imbellem ejecit in exilium.
Sed felix exilium!
In quo tandem ad beatam illam Patriam genuinum edidicit tramitem,
fidei orthodoxæ initiatus.
Futurus alioquin fortè æternùm cœlesti extorris patriâ:
si terrestri ad momentum non exulâsset.
Multum nempe est, â teneris assuescere duris;
& heroicæ virtuti præludere,
cùm lusus est inter crepundia,
frangere corticem, ut nucleum esse detur.
Proprio igitur Oswaldus regno dejicitur,
ut plures ei quondam, quàm Antecessorum ulli, Regiones subjiciantur.
Bellicos inter tumultus, & hostium furias educatur:
ut olim gloriosis Antecessoribus gloriosior ipse
ad publicos populorum applausus educatur.
Qua in re agnovit omnino artificem omnipotentis dexteram:
& gnavum se ei tradidit discipulum,
formandum in gentium amabile prodigium.
Eâ enim duce, adversa ultro amplexus est adminicula:
ut res suæ prosperos sortirentur eventus.
Agnovit verò etiam probè, non nisi gloriosos sibi

ex his principiis exitùs præparari.
Viderat Osrici, & Lanfridi superbiâ depressam per nefas Angliam:
Præceperat insuper animo non vanè, probatum se sinistris, & approbatum,
aptari ad coronas.
Quare ut tanto par foret molimini,
solitum jecit fundamentum profundæ & pietatis, & modestiæ:
dum coram suis aperto in campo Supremo supplex Numini
sese prosternit in genua:
earundem virtutum verbo, & facto exemplum factus exercitui,
non aliter secum triumphaturo;
quàm si cum ipso se demisisset.
Iacuerant Osricus, & Lanfridus Ceadvallæ protriti pedibus:
quia rejectâ Christi humilitate,
quam cum OSWALDO extorre didicerant,
feliciores tunc in Scotia exules, quàm postmodum in patria Reges,
perfidi deinde Deo facti, erectáque contra eum cervice ausi stare,
fortunam ipsi suam supplantaverunt.
Stetit è contrario, dum se prostravit OSWALDUS:
cùm salutis anchoram in cruce veneratus, poplites flexit,
ut pedes firmiùs figeret in arena.
Quo facto & Navarchum se in tempestate probavit optimum,
& Archistrategum in prælio expeditiorem.
Idque virtute, & pio simul astu.
Námque ut elatum, & insolentiorem victoriis tyrannum,
quem grandibus circumscriptum copiis viderat,
& nulla sibi vi palmam eripi posse, jactantem audierat;
exiguâ quidem suorum manu, dextráque tamen comprehenderet;
firmam sibi in humilitatis valle delegit stationem.
Non ignarus, lubricum nimis esse, incertúmque gradum;
in quo ambitiosos collocat superbia.
Cujus pes cum tantùm unus sit, quantumvis altus;
facili subverti solet ictu.
Quem scilicet & boni pugiles vibrare consueverunt
genuflexi sæpius feliciorem.
Sed & Christiana docet hoc polemica:
ut qui triumphos petit eminentiores;
non canat victoriam ante pugnam:
nec temerè; sed apum ritu, in auras mentem levet;
ne præcipiti ambitionis turbine dejiciatur.
Urget verò etiam, & sanctè:
ut qui declinare lapsum velit,
in profundo se demissionis dextræ acclinet OMNIPOTENTIS:
quæ in imo levat, & fulminat in summo.
Huic igitur innixus & iste,

Cead-

Ceadvallâ fulminato, levatus eſt in altum.
Sed aliàs quóque ſecundis avibus
ex labyrintho non uno feliciter evolavit.
Quia Crucem Domini non minùs in corde, quàm in manibus deferebat.
Hæc illi in rebus dubiis & ſcutum, & anchora ſemper fuit.
Hanc ambobus brachiis quàm reverenter, tam confidenter arripuit:
cùm lacerata hoſtium furore Northumbria ad incitas jam declinaret:
& verò etiam expertus eſt ſoſpitatricem.
Hujus item viribus animatus, & auctus,
cùm in decreto pugnæ campo inſtar labari
eam ſuis ipſe manibus ſtatuiſſet;
amiſſam Patriam recuperavit;
ut erecto etiam ante certamen trophæo,
triumphum poſtea celebraret.
Exinde ardens alioqui rem Chriſtianam proferendi deſiderium
in eas tandem flammas erupit;
ut munus non indignum ſua crederet Majeſtate,
Antiſtiti ad populum verba facienti
interpretem aſſiſtere ſe Regem:
quò plures, & ſuaviùs Deo animas lucraretur,
Coronatus ipſe in cœlis coronandas.
Non tamen animorum ſolùm, ſed & Regnorum
viſus eſt eſſe magnes:
dum quatuor linguarum gentes
in poteſtatem ſuam virtute, non vi pertraxit ita:
ut ubi Reges alios non ſecùs, quàm terricula, fugerent,
ad hunc velut ad aſylum convolarent.
Vim nempe nacta eſt admirandam ſociata clementiæ LIBERALITAS.
Aurei eſt inſtar hami:
quo mentes humanæ capiuntur.
Emicuit hæc in OSWALDI & manibus, & vultu,
inſtar auſpicati ſideris;
quocúnque ſe circumferebat.
Optimè enim noverat,
ut libertatem, ſic LIBERALITATEM,
bonis agnatam eſſe Regibus.
Utríque, ne quid unquam decederet,
id cum primis cautum voluit;
ut ſuis auri cupido manibus
ferrea nunquam injiceret vincula,
& vel eminus imperaret:
cùm minimè ſit liber,
qui ſervus eſt ſeu avaritiæ, ſeu cupiditatis.
Longè enim ſupra vulgus eminent,

Deóque ipsi propinquant Reges:
& vel maximè studio benefaciendi,
suáque pluribus bona communicandi.
Nihil námque, facundissimo Græcorum teste, ita Deo reddit similem,
quàm benignè facere.
Regio exciderat quondam junior Dionysius animo,
Parentis testimonio:
dum argentea sibi data nimis avidè servavit vasa.
An non autem vel ideo claruit Regio OSWALDUS animo,
quòd cum Regiis dapibus, argenteum quóque discum
liberali manu in frusta comminutum
dispersit in egenos?
Quo quidem facto admodum festivo,
quia paschali solennitate decorato,
dum Regias Christo in pauperibus dapes obtulit;
ad cœlestis ab illo Agni epulas commeritus est invitari.
Jucundissimum hoc liberalitatis Regiæ prodigium
Aidano Antistiti sancto fuit spectaculum:
magis utíqe delectato pietate tantâ,
quàm regio mensæ apparatu.
Munificentissimam igitur OSWALDI dexteram arripit,
osculóque cum reverentia fixo,
ut spiritu divino afflatus erat,
ita cum fiducia imperat singulari:
ne manus ista ullo unquam tempore putrescat.
Et verò imperium hoc, fuisse vaticinium,
eventus ipse docuit.
Siquidem illa manus annum à morte integrum pependit integra:
ac deinceps quóque immunis à corruptione perduravit.
Quasi jus suum exercere natura non fuisset ausa
in liberalissimum illud brachium;
quod suo in bona sua cessit juri,
ut ea cederent egentibus in solatium.
Vel certè ipsa docere natura voluit,
corrumpi non debere,
quod à corruptione plures præservaverat.
Quàm felix esses hoc thesauro Anglia;
si eodem etiamnum uti nôsses!
Sed quia absconditus est oculis obtenebratis,
ut negligitur, sic non prodest:
imò verò etiamnum prodest; quantumvis id ignores.
Hoc brachio nonnemo dixerit, velut fulcro te sustentari:
ne redactâ ad incitas fide, omnino collabaris.
Suspiciunt tamen hanc dexteram inter astra

non

non pauci è Principibus:
& vel illius digito directi discunt,
Regiam ejusmodi Largitatem
venam esse auream, & semper affluentem:
quâ MUNIFICENTIÆ DIVINÆ dona redundant.
Siquidem & flumina, quas oceano immittunt undas,
magno fœnore recipiunt ab eodem:
& vel inde habent, ut semper fluant.
Expertus certè etiam in vivis est OSWALDUS:
quando, ne Divinam sibi clauderet manum,
suam aperuit suis, ubi res ferebat.
Et hac etiam arte,
dum Regia dona, ubi potuit, contulit;
Regia quóque dona, ubi non speravit, retulit:
quando pluribus etiam regnis est cumulatus.
Laudanda nempe usura est LIBERALITAS:
ubi nihil quidem petitur, multum tamen supra sortem accipitur:
quódque sponte datur, sponte redit.
Cùm & in aliis non sit infrequens,
ut qui dat sine pignore, recipiat cum fœnore.
Quanquam ut beatiùs est dare, quàm accipere;
sic plus in sua, quàm aliena manu,
voluptatis habet LIBERALITAS,
ipsa sibi facta gazophylacium:
cui Superi monetariam sociare solent officinam.
Apostolica tamen, & hoc ipso Regiâ major,
fuit illa Regis hujus Munificentia:
quâ & linguam sociavit manui;
ut veram gentibus fidem,
fideles fidei leges,
& mores legibus consonantes
beneficentiùs impertiretur.
Hac enim sacratissimâ Largitate
& cœlum sibi devinxit ampliùs:
dum tot numismatum ad imaginem Dei reformatorum,
quot animarum Ecclesiæ, virtutíque addictarum,
& numerum & pretium æterno intulit ærario.
Ubi pietatis luce collustravit
Britones, Pictones, Suevos, & Anglos:
ut alios ne memoremus.
Quid multa?
Et harum, & aliarum, quibus ornatus erat, virtutum odorem
tanta passim LARGITATE Rex optimus diffudit:
ut exteræ etiam, & remotissimæ nationes

myrothecia inde ſua replerent;
& in amorem pariter, ac imitationem ejus exardeſcerent;
quin & patronum apud, & inter Superos cuperent,
magnóque cultu venerarentur.
Neque fruſtra.
Nam & à morte inventus eſt orare,
in genibus, & manibus in cœlum ſublevatis:
ut ſuorum ſe clientum oſtenderet meminiſſe
liberali apud DEUM interceſſione.
Sed cùm tranſire viator apparas,
ne à liberaliſſimi Regis funere diſcedas absque munere;
theſaurum, qui hoc in agro ditiſſimus proſtat, priùs adi.
Poſtquam enim Rex hoc in campo ſuum pro Chriſto ſanguinem fudit;
vel theſaurum abſcondit in agro ſuum,
vel agrum ipſum convertit in theſaurum.
Pretioſa námque tinctura fuit viri tam ſancti cruor:
qui dum ignobilem attigit glebam,
in pretioſiores auro vertit gemmas.
Siquidem humo illic ad viri altitudinem egeſta,
tumulus factus eſt:
ad quem ſepulchro proximi non tumulandi caderent;
ſed redivivi ſurgerent.
Nam vel pulviſculi inde aſſumpti adverſus quoſvis morbos
catholicum facti ſunt medicamentum.
Recipe igitur & tu, ſi placet, ex hoc pulvere:
ut quot atomos, totidem feras uniones,
& ægris, & afflictis in cordialia vel maximè ſervituros.
Interea verò pretioſo hoc pulvere dives memento,
in obſcuriores inopiæ veteris pulveres te facilè rediturum;
niſi pulvis hic in memoriam quóque tibi ſerviat,
& colendæ, & imitandæ LIBERALITATIS.



Qui

QUI SEMINAT IN BENEDICTIONIBUS, DE BENEDICTIONIBUS ET METET.



Si quis Principibus, quâ creſceret aurea meſſis,
 Artem ſuggereret, gratus Apollo foret.
Munificæ tamen â Superis eſt indita dextræ;
 Ut ſparſum ſatis hæc ſemen in arva docet.
Optima terra manus inopum, bene vel meritorũ:
 Summa, quæ in hanc auri ſpargitur, aucta redit.

Encomium exegeticum
Liberalitatis Regiæ.

REx consanguineo sacram
Faustâ sorte trahens progeniem à Jove
Astrorum est melior satus
Ortúsque â Superis Semi-Deus soli.
Nec feliciùs hunc tamen
Splendentes tituli, & nomina juverint,
Ut plausum populi ferat,
Ac dignis solio laudibus emicet:
Quàm si MUNIFICENTIA,
Quæ verè Astricolis consimiles facit,
Exæquâtque hominem Jovi;
Ejus perpetuò sit lateri comes.
Solo hoc Numinis ectypam
Virtutis minio fingit imaginem;
Usurpátque sibi regens.
Tum justè patrio degener haud polo
Præsefert genus, & domum, &
Sese astris perhibet ducere sanguinem,
Summis dignus honoribus;
Cùm spargit facili divitias manu
In claros meritis viros:
Vel quos pauperies vexat iniquior,
Oblatâ recreat stipe.
Hic mos est Superis: cornua copiæ
Dum largâ evacuant manu.
Hoc & nobilium dextera Principum
Sectetur methodo æmula:
Ut quæ multa tenet munere Numinis,
Partem dando alios beet;
Imò & divitias accumulet suas.
Sic Saturnia sæcula,
Sic florens patriæ vultus, & aurea
Campos messis inambulat:
Dum Nili Charites rore rigant humum.
Hoc quondam duce Julio,
Scauros, Æmilios, Fabricios dedit

Orbi conſpicuos decus.
    Nam cor MUNIFICUS vi trahit abditâ;
Innectítque animos fibris
    Dives Mygdoniis aula favoribus.
Ut montes Rhodopeius
    Sylvas, atque feras cantibus attrahit;
Sic Rex muneribus rapit
    Incultos genio, moribus, indole:
Et quò vult, faciles habet.
    Nôſti Muſa viros, quotquot ab AUSTRIA
Surrexêre Domo, inclytos.
    An non MUNIFICE SUAVIOR indoles
Cunctis fecit amabiles?
    Si contrà volucrum roſtra Typhoidum
Stringas, ut radiet tibi
    Auratis rutilans Lydia fontibus,
Mensque auri ebria flumine;
    Neronis tumidi gemmea nil domus,
Æquatúſque polo juvat
    Vertex; cùm putrido ſordeat hoſpite.
Cæco ſecula turbine,
    Incertíſque equitant luſtra favoniis;
Si quando diademata
    Exſugunt populos inſtar hirudinum.
Námque auri ſitis improba,
    Quot pontus rapidis flatibus excitus
Alvo verſat arenulas;
    Tot gignit tineas nominis inclyti.
Hinc quo non Cynico ſale
    Rex quondam Phrygiæ Tantaleus Midas
Conſperſus medias famem
    Inter divitias, & meritò luit!
Quid? quòd ſumma pericula,
    Quando auri cupidus perfurit Africus,
Incumbunt ſolio; & premunt?
    Auratum Phaëton, nempe jugalium
Phœbi, qui premeret jubar
    Lucis cœligenæ parcus; is excuti
Tanto dignus ab eſſedo.
    Quare quiſquis avet conſpicuus face.
Ferri limina in utráque
    Mundi, aut cœligenam prêndere gloriam;
Nôrit largiùs aureo
    Gangis Regnicolas flumine tingere.

S. STE-

S. STEPHANUS
REX HUNGARIÆ
Religione eminens, & Apoſtolicus.

COronáne fuerit, an gemma Principum,
dubium reliquit STEPHANUS.
Si corona Regum indigitatur gloria;
non tam nomine, quàm re, corona fuit pretioſiſſima.
Quòd ſi dignum meritò præmium corona dicitur,
omnium STEPHANUS excellit meritum, prætérquam ſuum:
quanquam & altior ſe ipſo.
Adeóque cæteris quidem donum fuit, ſibi verò ſoli corona,
quia ſuus ipſe ſibi STEPHANUS.
Jam verò ſi gemma coronæ decus eſt:
STEPHANO pretioſiorem corona nulla habuit gemmam.
Donare quidem gemmam hanc ultra meritum voluit mundo cœlum:
verùm ne projiceretur ante porcos, cavit.
Et ideo ſacro priùs rore tingi cum conſorte tori Geyſam voluit:
ut ab idolorum ſordibus abluerentur;
neque immundis gemma illa manibus vel in origine ſuſciperetur.
Erit ergo tibi Hungaria, ſi pretium ſpectes & decorem,
gemma STEPHANUS pretioſa:
erit Regia, ſi ſpectes gloriam, corona:
de qua tibi plùs, quàm aureâ, gratuleris.
Quis porro factis futurus ſit Stephanus,
ex ejuſdem ortu vix aſſequeris.
Ergo tota potiùs in occurſum adornare:
ut dignè recipias, quem cœlum nunciat venturum.
Nec expecta minorē Rege, quem Regius cœli genius, ut prodromus præit.
Et, ſi ex præcurrente cœli Principe venturum colligis Regem,
ex præeunte Proto-martyre, naſciturum tibi, ne diffide Apoſtolum.
Obſequioſus certè Levita nec in cœlo ſui non recordatur muneris,
APOSTOLORUM in terra dicatus obſequiis:
ut novum ſibi ſubſtituat APOSTOLUM.
Sed ignoſces generoſe Chriſti teſtis,
nec lapidem in te projectum verbo credes:

si quispiam fortè ambitionis reum te notare ausit;
dum Regio huic APOSTOLO tuum imponi nomen jubes:
ut vel sic accedat etiam APOSTOLORUM numero STEPHANUS.
Verùm ne inane solùm nomen STEPHANI transiret in APOSTOLUM,
protectorem se ei, & præceptorem Sanctus recipit esse futurum.
Ut vel sic præter nomen optimam sui partem in novellum derivet APOSTOLŪ:
virtutem scilicet, & Apostolico plenum zelo spiritum.
Perge porro Proto-Martyr sanctissime,
Sic ad Apostolatûs infulas, imò & coronas aspirare.
Da favente cœlo multos ejusmodi mundo STEPHANOS:
qui & REGES sint, & APOSTOLI;
& utróque nomine te imitentur.
Nihil enim hîc intercedit arrogantiæ:
ubi quidquid arrogatur, pium est, & sanctum.
At quem putemus futurum sub tanto Præceptore discipulum?
Quem sub tanto Duce militem?
Exitium sanè tibi time, perniciosa Sathanæ Synagoga,
& quísquis hoc magistro noxia spargis per mundum dogmata.
Quando redivivus STEPHANI spiritus non solùm oris utrínque acutum,
Sed & invictum potentioris dextræ gladium arripuerit:
quis te clypeus defendet?
De bonis igitur pactis cogita: neque lapidandum ampliùs inermem spera:
qui fortissimi Principis assumpsit apparatum.
Alioqui tuo disces exemplo,
quàm durum sit allidi petræ
in firmamento fidei solidatæ.
Imò si tua pergat se opponere duritia,
oppressa cadet lapidibus;
quós in alterum à te jactos, retorquebit iste in te STEPHANUS.
APOSTOLUS cùm esset STEPHANUS certo Vaticanæ sedis testimonio,
Regem ipse se testabatur arrepto Regni gladio:
ut jura cum RELIGIONE tueretur.
Réxne verò priùs, an Apostolus fuerit,
non quidem excellentiâ muneris, sed ordine temporis,
quis decidat?
utrúmque fore, nondum natus prædicitur:
vix natus utrúmque spirat:
utrúmque voce sonorâ cœlum denunciat:
idémque repetit vicaria in terris Echo cœli.
Ut utrúmque hoc munus unà inditum,
unà executioni datum,
& ipsa sui unione majus extitisse,
quàm raro, tam claro exemplo videamus.
Certè cùm parvulum sacro unxit chrismate

Apo-

APOSTOLUS earum gentium Adalbertus;
& REGEM fore, & APOSTOLUM, non dubitavit.
Quia gratiæ utrinque suffecturæ sementem ex alto jactam vidit:
ac verò etiam expertus est re ipsâ,
in terram optimam cecidisse.
Neque aliud eventus ipse docuit:
cùm regni primùm clavo manum Rex optimus admovit.
Siquidem illico favente quasi vere floruit
Respublica, & RELIGIO.
Idque eò feliciùs, quòd se regendum DEO
Rex ipse totum tradidit:
ut firmiora scilicet essent regni fundamenta;
quia summo nixa centro.
Huic ut firmiùs & subditi inhærerent;
Apostolicas omnino curas eò vertit:
ut per viros Apostolicos ad bolidem,
quam Gisela ipsi desponsa secum tulerat;
hoc est, ad rectam orthodoxæ veritatis regulam,
Regnum omne dirigeretur.
Cùm enim præesse nollet, nisi etiam prodesset;
primum afferre voluit suis emolumentum:
quod si vel unum, solúmque desit,
bona omnino omnia periêre.
Pulcherrimo Principibus documento:
non satis bene sceptra geri,
nisi fiant indices in automato reipublicæ;
quibus & animæ subditorum ad salutem dirigantur.
Utpote quas mentem nactas immortalem,
adeóque notas cœlo, & natas æternitati,
non minùs, imò magis, quàm corpora suorum, aut fortunas,
gubernio commissas habent suo.
Curas itáque omnes deposuisse STEPHANUM diceres, velut incuriùm Regni;
ut unam curaret RELIGIONEM:
nisi ea etiam Regnis vel maximè proficeret cura;
quâ curantur negotia salutis.
Quod enim educendæ altiùs moli fundamentum,
hoc est RELIGIO reipublicæ:
quod fluctuanti voraces inter procellas navi anchora,
hoc imperiis est vera Fides.
Eò majorem proinde incuriæ notam incurreris;
quò sublimiorem ædificii molem struxeris, neglecto fundamento.
Ignarum te naviculariæ demonstraveris:
si nulla sit in alto cura anchoræ.
Optimè igitur STEPHANUS, ne imprudenter erigeret Regni solium,



ſolidam ſubſtruxit baſim RELIGIONIS:
in qua ut ſuam priùs, ita ſuorum deinde & ſortem, & ſalutem,
hoc eſt, geminam, completámque felicitatem, confirmavit.
Idque eventu prorſus deſiderato:
quando ampliſſimum hoc Regnum in ipſis quóque primordiis,
ad eum evexit ſtatum;
ut orbis delicium, populorúmque deſiderium, haberetur.
Florent nempe Regna, dum intacta floret RELIGIO:
eâque deflorente languent, & marceſcunt.
Cujus equidem effati veritatem luce clariorem
utinam tüo Hungaria damno æque, ac aliorum exemplo Regnorum,
non eſſes edocta plùs, quàm ſatis!
At enim usque adeò inculcant eam etiamnum tot, ac tantæ calamitates;
ut quibus vel has deplorare, vel illam ſatis commendare queas;
vix, aut ægrè reperias calamos.
Non deerant equidem, nec deſunt Reges:
qui Apoſtolicam STEPHANI tui pietatem imitati,
ut RELIGIONI, ſic felicitati manum porrigerent ſoſpitatricem:
ſi quivis æger admitteret Archiatrum.
STEPHANUS igitur quemadmodum adlaboraverat,
ut ſub uno DEO, & uno Rege, in una Eccleſia, & una fide,
firma ſtaret in Regno RELIGIO:
ita proximas adjecit curas;
ut pax & concordia floreret inter ſuos:
alterum ſcilicet Regni fulcrum.
Ac proinde in primis cautum voluit;
ne vel fide, vel perfidiâ, diſſidentibus inter ſe civibus,
ullus eſſet locus, vel turbis, vel ſeditionibus.
Verùm quia aquæ multæ populi multi,
ut facilis eſt in oceano tempeſtas,
cùm varii concurrunt venti;
ſic & in ampliore Regno motus Bellona ciet;
dum diverſi inter ſe genii colliduntur.
Viſus autem & DEUS eſt aperuiſſe campum:
in quo & meriti, & gloriæ meſſem legeret Rex optimus uberiorem:
unde poſſet & aliis panem frangere, quo ad meliora alerentur.
Expertus hoc eſt Gyula:
cùm uſus eſt amico, quem fecerat hoſtem:
quando perfidiâ ſuâ fidem, & inſolentiâ ſalutem,
obſtetricante STEPHANO, præter ſpem ſuam ſibi peperit.
Abduxerat hunc Rex victum, captúmque, ceu triumphator:
ſed vel hoc modo ab hoſtis antiqui vinculis exemit:
adeóque cùm ſervum fecit, liberum dimiſit.
Quia ad fidei lucem feliciter eruditum,

in

in ſacram filiorum Dei libertatem aſſeruit.
Imò verò ut reverentiam haberet Apoſtolicis APOSTOLUS conſtitutionibus;
quæ in emptam à Chriſto libertatem aſſertos vinciri prohibent;
ſuo eundem etiam abſolvit mancipatu:
ut geminam conferret libertatem.
Felix profectò ex ipſo fortunæ ſuæ lapſu:
qui ſemel captivus, bis factus eſt liber!
Sed & Conradus Imperator debilioribus erat oculis;
quàm ut ſplendidiſſimum hunc ſolem in Hungariæ Zodiaco coruſcantem
propiùs poſſet intueri.
Crediderat is forſan, minùs eundem poſſe ſub nubibus;
quibus pientiſſima ſui demiſſio involvebat:
atque adeò facilè, ſi non extingui, ſupprimi ſaltem poſſe.
Abjecerat equidem ſe STEPHANUS ad ipſos pauperum pedes
exemplo ſummi Regis abluendos:
unà verò etiam ſuiſmet manibus dividere ſportulas,
& ſtipem erogare delectabatur.
Quin, ubi certamine inter mendicos exorbitante;
ſuam vidit in ſpolium diſcerpi barbam,
hilari diſſimulavit ore:
ac verò etiam ut generoſos milites coram Deipara dilaudavit.
Néque tamen ideo quidquam detrimenti paſſa eſt
vel Authoritas Regia, vel Majeſtas:
imò, ut clarior eſſe ſolet poſt nubila Phœbus,
ad ſolium regreſſa ſplendore micuit ampliore.
Siquidem non tam â throno Rex, quàm thronus à Rege,
ad veram gloriam inclareſcit.
Quia igitur Conradus hunc æquis videre non potuit oculis,
ut fieri ſolet, invidere cœpit oculo iniquiore.
Atque ne radios in alto diffunderet illuſtriores,
exercitu formidando depreſſum ivit.
Verùm ipſa hæc eclipſis fulgorem auxit STEPHANO,
radiis ex alto miniſtratis.
Patronam ſibi, Regnóque delegerat, & ſanctè coluerat
MAGNAM CŒLI DOMINAM,
eandémque CASTRORUM ACIEM ORDINATAM.
Huic ergo, ut ad arma, ſic ad pietatem ſuis Dux,
coram exercitu ſuo ſupplex factus,
omnem committit aleam belli.
Et ecce tam feliciter illa cadit:
ut ante prælium victoria STEPHANO faveret:
Conradi copiis hoſtium ne viſorum quidem timore perculſis,
& ad ſua ſeſe recipientibus.
Huic Palladi adeò felici,

in alia contra perduelles expeditione
ſancto, ut ſolebat, conſilio ſociaverat STEPHANUS
clariſſimos & virtute, & belli peritiâ,
victoriiſque tum profanis, tum ſacris celebres
binos è cœlo Archiſtrategos
MARTINUM, & GEORGIUM.
Idque eâ felicitate, ut victor eſſet;
ubi ſpes & ſalus in apice conſtituta videbatur.
Campo enim exceſſit nequitia non auſa comparere:
faſsáque palàm, ſe STEPHANO non eſſe parem armato;
cui inermi inſidias paraverat.
Quanquam & iſtæ inter caſſas periêre nuces:
cùm inermis etiam, ſomnóque ſopitus excuſſit arma victor.
Siquidem quot aſtra nocturno, ludóque in cœlo micant,
tot oculis in STEPHANI ſalutem intentum eſſe Numen videbatur.
Quàm ſecurus cubat, pro quo talis excubat Argus!
Sed non potuit non agere vigilias pro STEPHANO cœlum:
quem nonniſi labores pro cœlo exantlati in ſerum declinabant ſomnum.
Totius nempe attraxit ſibi curas cœli;
qui curas in cœlum omnes unum dirigere ſolebat.
Verùm ad nutum quóque cœli, & Regia virtute perduellem vicit:
dum ferri tremulâ malevoli dextrâ excidentis ferali ſtrepitu
excitatus pepercit feræ, & machinato mortem, donavit vitam.
Adeóque ut in publico ſæpius hoſtem ſubigendo,
ſic in privato ſupplicem erigendo triumphavit.
Aliam tamen optabat victoriam ardentiùs,
precibúſque in cinere, ac cilicio fuſis urgebat:
ut favente cœlo conſummatam ſtabiliret,
Rex pientiſſimus, & APOSTOLICUS.
Regnum, priuſquàm è vivis hinc migraret,
ut orthodoxæ totum fidei addictum cerneret;
id enim verò vel maximè in votis erat.
His ut faventes pelliceret ventos;
viros Religioſos, & ſpiritu DEI plenos,
quos tanti Regis fama in regnum traxerat;
tanquam auxiliares è cœlo copias,
magna ſuſcepit comitate, munificentiáque fovit.
Atque ut ſedem in Regno figerent,
plura & templa, & cœnobia,
velut præſidia RELIGIONIS,
magnâ auri profuſione ſtruxit.
Ne ſcilicet in ſuos minùs, quàm extraneos,
pro RELIGIONE pius eſſet, & liberalis.
Nam extra Regni quóque fines authorem colunt STEPHANUM

va-

varia pietatis domicilia.
Tres è multis testes accipe, omni tamen exceptione majores:
Hierosolymam, Romam, Constantinopolim.
Ubi si RELIGIONIS tantæ vestigia, ut par est, venerabere:
in pia facilè erumpet affectus vota,
quæ mediam extremis velint esse copulam:
quâ in eandem denuo fidem colligentur;
& ex barbara malè feriata liberæ
in optima forma
Sub ROMANAM redeant CORONAM.
Verùm ut alia pientissimi Regis monumenta ne memorentur,
prætermitti certè nullo modo debent,
quæ in fastos retulit suos Ecclesia.
Archiepiscopatui nempe Strigoniensi,
Episcopatus denos junxit STEPHANUS
admirabili & RELIGIONE, & munificentiâ Fundator.
Verùm dum plures meditatur laudes calamus,
ubi vix dum cœpit, cursum sistere cogitur:
inopem dum copia reddit,
& medium extra medium servare jubet.
Ita quidem, ut ne nullus sit aliquando finis,
jungendus sit initio vix facto finis:
quò medium sit vel nusquam, vel utrinque.
Unum tamen adjicere fas sit verbum:
dùm STEPHANUS dicto terris vale, conticet;
& dextrâ post mortem integrâ
RELIGIONEM loquitur.
Etsi enim suavissimus corporis totius odor
& saluberrimus, qui ex eo profluxit liquor
eandem & spiraverit, & liquido probaverit;
manus tamen, quæ illam tanta largitate,
nullóque fessa labore promovit;
eandem sibi perpetuò servâsse visa est,
ut posteris monstrare viam possit,
quâ studium RELIGIONIS imitentur.
Imò verò etiam totus monstravit eam suo viam
in EMERICO STEPHANUS.
Quia se in illo, utpote simillimo,
& ad Religionem, ac virtutem omnem instituto,
tanquam viva scilicet effigie reliquit.
Coronam tamen Regni sacram,
ut securior ea perennaret,
non reliquit repositam in capite Filii, quantumvis digni;
sed quò antè deposuerat, in sinu Matris:

MAGNÆ nimirum DOMINÆ.
Hujus in cœlos assumptæ festo,
die scilicet cum primis fasto,
albóque notanda lapillo;
morte faustissimâ, secutísque prodigiis clarâ,
non tam obiit, quàm abiit ad Superos:
in quorum consortio sorte felicissima
jam fixam antea semper habuerat mentem.
Ut nimirum, quam eo semper ardore dilexit,
eâ pietate, ac Religione coluit;
ut nulla ipsi dies abiret sine linea,
quâ se ad hujus archetypi imitationem
non expinxerit æternitati:
ex ultimo quóque puncto vitæ
lineam ducturus infinitam,
Filius Matrem sequeretur,
& faustis inter Angelos avibus
assequeretur.



Alis

ALIS, ET VOCE SEQUUNTUR.



Cùm ſol arridens vernantibus adfavet agris;
  Plaudit, & aſſurgens laudat alauda DEUM.
Mox matrem totus comitatur in aëra nidus;
  Et vocat aligerum in cantica læta chorum.
Sic Regis pietas exemplo pertrahit Aulam
  Cum populo; & coelo regna favente beat.

Encomium exegeticum
Regiæ Religionis.

QUid juvat hoſtili potare cruore mucrones,
Pérque cadaveribus
Horrentes campos, Martis verſare quadrigas,
Quas comitetur honos
Plaudentis populi? Si ſacræ Numinis aræ
In cineres abeant,
Relligio captiva gemat, ſi templa ruinis
Sordida perfidiæ
Victrici pede calcentur, ſi myſta verendus
Exilium ſubeat.
Non nomen victoris amat, cui corde gelatur
RELLIGIONIS amor
Nec lauros ſors fauſta metit, ſi pectoris arcem
Occupet impietas.
Victus abit, qui victor erat, ſi fulminet hoſtes
Impietate Duce.
In cœlum, Superóſque pius, qui Numinis ædes
Vindicat à furiis:
Is bello felix, & felix pace, per orbem
Ut jubar igne micat.
Hæres virtutum, Regali ſanguine dignus,
Dignus & imperio.
Auguſtus coram populo, charúſque Tonanti,
Qui pius in Superos
Quos Superi pleno cornu fudêre favores,
In ſua regna trahit.
Pannoniæ teſtor colles, fulsêre trophæis,
Quando ſacræ viguit
RELLIGIONIS honor: cingebant tempora laûris,
Quas manus eripuit
Virgineis præcincta globis. Non machina prægnans
Fulmine flammivomo
Terruit Odryſiam Lunam: non bellica rauco
Buccina plena ſono
Hoſtibus appendit timidis talaria plantis,
Sed pietatis amor.

Au-

Auxiliante polo, Regno victricibus armis,
Quas Erebus vomuit,
Expulit Harpyias. Quoties Mahometus & Achmet
Marte ferox Getico,
Succendit patriam, toties â Pannone victus
Vix pedibus rapuit
Vitam; qui voluit ferro pessumdare vittas
Pannoniæ populis.
Sanguine testatus proprio, non vincere posse
Per furias Erebi,
RELLIGIO Syncera Deo, quæ Regna tuetur.
Templa dicata Deo
Mœnia sunt Regni. Quæ dum Lernæa propago
Hæresis, Hungariâ
Connivente, solo stravit; velut agmine facto
Irruit omne malum.
Sunt fractæ lances Themidos, pietatis honores
Prô dolor, & facinus
Audax! Exitium passi. Constricta catenis
RELLIGIO gemuit.
Triste chaos subiit virtus. Pharetrata libido
Lilia mixta rosis
Messuit audaci dextrâ. Stimulante furore,
Hostibus Odrysiis
Tradidit impietas regnum. Quid tristius? orbis
Delicium Hungaria
Ismarium perpessa jugum, captiva furoris
Vincula sæva tulit.
Buda parens Regum, Belgradum compede vinctum
Sæpius indoluit,
Pro lætis tristes lauris crevisse cupressos.
Exitióque suo
Europam docuit, Geticos evadere, si vult
Victima mœsta canes;
Sit veræ pietatis amans. Huic militat æther,
Pax oleas revehit
Civibus, hac dominante: rotis fortuna secundis
Perdita restituit;
Aurea sæcla fluunt, si Regia sceptra gubernet
RELLIGIONIS amor.
Ergo DEI sit cura Duci, qui lancibus æquis
Dirigit imperium.
Hac florente, diu felix dominabitur orbi;
Hac pereunte cadet.

APO-

APODOSIS.

sIDerI
In aVstrIæ, VngarIæ, IMperII,
eVropæ, orbIsqVe soLatIa,
fortVna faVente
Coronato
oMnIa
In gratIæ DIVInæ,
aVItæqVe VIrtVtIs ornatV
feLICIa.

Filius accreſcens JOSEPH,
Filius accreſcens:
& decorus aſpectu.

Ex Græca ſeptuaginta Interpretum verſione:

Filius auctus JOSEPH,
Filius auctus:
deſiderabilis.

Prolepſis, & Syllepſis epigrammatica.

ERgône tot Capitum laudes capiat Caput unum?
Bis ſenos numerans annos, & vix Adoleſcens
Bis ſenôſne Senes, aut ſaltem ætate Coronis
Maturâ claros, complecti mente tenella
Poſſit, & aſſurgat tantos Imitator in auſus?
Scilicet ætatem ſupplet, ſuperátque faventis
Gratia Naturæ dotes imitata Parentum.
Filius accreſcens Patrii ſplendoris honore,
Filius accreſcens Patriæ pietatis amore,
Nominis augmento geminum illigat incrementum:
Ut pede Sors longo millena in millia creſcat;
Et rectè ſcandat Virtus, innixa Coronæ.

RESPONDET IMAGO.



Rarum vidiſti ſpeculum? Præſtantius iſto
Nec tibi cryſtallus, nec mihi margo dabit.
Margo divorum eſt virtus, & gloria Regum:
Par in cryſtallo reddit imago decus.
Hoc ubi ſe totum centro transfuderit uni,
Quem cernis, vultus quàm pretioſus erit?

AVE LUX,

QUàm Serena, tam amœna,
quàm clara, tam chara,
in ipſa etiam gloriæ Aurora Tuæ
omnibus lucem amantibus
inter lucis filios,
JOSEPHE SERENISSIME.
Si quis infenſus, aut infeſtus inviſum Te ſibi putet;
Splendores, quos volet oppreſſos, acuet:
dum ſervientes luci tenebras invitus imitabitur.
Attamen ipſe viderit,
futurus oculis forſan clauſis acutior, quàm apertis:
niſi opticos læſerit invidia nervos,
caligine, ut ſolet, offusâ menti.
Alioqui vel oblæsâ monſtrabit ſe pupillâ cæcutire;
vel noctuarum ſe nido prodiiſſe prodet
in tenebras potiùs, quàm lucem.
At vel ideo fatebitur, etiam nolens,
fulgore Te majore clarum,
quàm ut ferre eum poſſit oculus non aquilinus.
Aquilinos enim obtutus in Te fixiſti,
etiam non longè digreſſus ab ortu:
in quo vel ipſo jam rapueras,
non quidem vi, ſed indole aquilina.
Ortus autem es nocte in diem declinante:
dum ad vaſtum evigilantis aquilæ clangorem,
feſtivo gallus cantui interſerendo pauſas Reginam reveretur;
feralémque bubo leſſum abrumpit fugitivus:
ut omine auſpicatiſſimo
ipſa in aurora tenebris diem diceres,
fauſtâque tuos luce recreares.
Hanc ſibi per Te auctam faſſa eſt Vienna,
ante ſolis ortum, ſolem in Te ortum ſibi gratulando
in publicos effuſa plauſus.
Dies ille vel maximè faſtus erat,
non tantùm, quòd ſecundâ Tecum horâ cœperit,
ſed etiam, quia feſtum, ſacrúmque ſibi fecit ANNA,
in cujus Te ſinum depoſuiſſe viſus eſt JACOBUS.
Non jam Anna quondam Perenna

inter commentitias veterum Deas nominata;
sed quæ perennat melius festivâ inter Superos luce;
quia Auroræ Solis æterni bajulæ,
hoc est,
MATRIS DEI MATER:
adeóque ut per fulgores utriúsque clara,
sic nominis etymo feliciter expresso,
per utriúsque gratiam gratiosa:
& vel ideo nitidiores luci TUÆ radios,
per majorum nempe luminarium conjunctionem,
in gratiis à FILIO per FILIAM communicandis affusura.
Néque verò vano casu respondit ea festo feria,
quæ nomen est à Marte nacta.
Hâc enim & Ungarica deinde corona TE ornavit,
& Romana electum invitavit:
ut confirmato quasi præsagio licuerit vaticinari,
in TE, & à TE maritandum quóque
Martialem spiritum virtuti gloriosæ.
Hic ut animos nancisceretur pares,
sol è Leone, quem triduo antè fuerat ingressus,
igniculos indoli communicavit acriores;
qui congenitam fortitudinem ad majora animarent.
Concurrêre verò etiam illustriora
cum leonis astro Sidera
Leonis & ipsa nomen nomine complexa suo,
virtutem autem animo longè supergressa,
LEOPOLDUS & ELEONORA
PARENTES AUGUSTISSIMI,
Ut nempe trino undíque perfecto,
major, ac melior Trismegistus
in stella quàm bona, tam gloriosa natus,
feliciter tuis affulgeres in stella semper bona.
Ne porro quidquam desiderari posset,
complevit omen mensis Julius;
& quidem à denis jam diebus declinans in Augustum;
Cæsareus nempe Cæsareo, Jovialis fortunato
dextram porrigens.
Ut nativitatis TUÆ schema
geminos complecteretur Cæsares,
alterum bello, alterum pace gloriosum,
utrúmque gestis maximum:
binósque menses præ cæteris eximios, & faustos.
Siquidem Julius tutelâ Jovis illustrior, & jucundior olim,
Augustus favore singulari Fortunæ Romanis erat felicior:

uter-

ùtérque Tibi, & per Te tuis optatissimus.
Ut in spem victoriarum, ac triumphorum
gloriosæ paci, & felicitati præludentium
ipsum Te cœlum dedisse,
natura edidisse videatur.
Et verò etiam de tempore id erat, & ad rem opportunum:
quando ea ipsa, funesta nempe tempora,
quibus Pythonem parturiebat novum perduellio,
postulare novum visa sunt Apollinem;
qui Paternâ fractum potentiâ monstrum,
spiculis demum suis omnino interimeret.
Cepisti in hunc, & alios hostes arma primùm,
cùm primo ætatis flore factus eques,
pretioso velleris aurei nexu,
Torquatus illustrior,
integritati fortitudinem copulâsti.
Idque auspicatissimâ illâ die,
quâ veterum Rex Romanorum Tullus Hetruscos triumphavit,
expugnatâque Indiæ Metropolis Lusitanorum Regi cessit;
sanctus autem Faustus cum sexaginta, & sexcentis commilitonibus
feliciter Arium superavit.
Ut sive in Madianitas moventem castra Gedeonem,
sive Jasonem in Colchos vela facientem,
ambos nimirum à vellere memorandos,
conatibus gloriosis imitêre;
inde rore recreatus, hinc auro animatus,
faustis trimphes avibus.
Quidni & ovibus cum vellere recipiendis,
& armentis in propria reducendis,
ex infamis Polyphemi, immanísque Caci manibùs?
Ita triumphis adjicietur & ovatio.
Quinto deinde idus Decembres,
quo Austriæ gubernaculis primam admovit feliciter manum
Augustissimus Parens Leopoldus;
quo Sigismundus Imperator clarissimus
est summa spe in lucem editus;
quo Philippus tertius Hispaniarum Rex
omnes è regnis suis exegit Mauros;
quo Carolum Burgundiæ Ducem Austriaci
glorioso Marte devicerunt:
inter faustas populi acclamationes,
omniúmque bonorum applausus
sacrâ Ungariæ coronâ es ornatus,
& in Regem hæreditarium inauguratus.


Eâ utique ſpe, fore,
ut, quam adiiſti Sanctorum hæreditatem Regum,
eorundem & favore, & imitatione recuperes.
Quartâ demum & viceſimâ Januarii
quâ Sementinæ quondam feriæ indicebantur
fauſto ſementis omine;
Janus Tibi aperuit januam Imperii Romani:
ut & bello; & pace memorandus,
ſed & Joſephi in Ægypto clari felix imitator,
pluribus, & amplioribus quoque Regionibus
optatam revehas alimentorum ubertatem.
Cujus equidem viſus eſt ſpem obſignâſſe
coronâ deinde Tua Polycarpus.
Unum eſt, quod hìc miremur.
Quàm & alta eſt, & ampla ſimul hæc janua,
tam difficile eſt, ut quis ingrediatur,
niſi maximus.
Nonnulli etiam ſuperiores Paribus,
majores Grandibus, & Primatibus anteriores,
damno id experti ſuo:
quando magnitudine multis artibus amplificatâ,
vel ruptis viſceribus, vel fractis viribus,
vel certè impacto ſuperum in limen capite,
ingreſſum temerè tentatum doluêre.
Tu, etſi nunquam parvus, imò à cunis maximus eſſes,
Ingreſſus es eandem parvulus,
quia duodennis:
dum duplo & ſtaturâ, & ætate majores
nec vi, nec arte poſſent:
quantumvis clavibus & ferreis, & aureis adniterentur.
Summum igitur aliquid, imò nihil non ſummum,
quin & omnia compendio maxima
in tam tenera & corporis, & ætatis habitudine,
neceſſe erat, ut viderent, qui præerant,
Cuſtodes januæ ſupremi:
ut concordibus omnino ſuffragiis
Te non tam immitterent, quàm introducerent;
ingreſſóque læti gratularentur.
Ita enim verò ingentis peripheriæ centrum
ſacræ etiam Imperii Romani coronæ
ſacrum feliciter ſuppoſuiſti caput:
ut ingentes etiam tùm vires animi demonſtrares;
& ſpecimina minimè dubia dares,
Augustissimo Te Parenti

non

non tantùm inter varias armorum curas,
ut Aſcanium Æneæ ſuum,
quàm parvo, tam alacri paſſu acceſſurum;
ſed etiam fixum orbis Imperialis onus geſtanti
Herois auſibus, & fauſtâ ſorte,
ut Herculem Atlanti ſucceſſurum.
Septimus fuit ille dies ante Februarii calendas:
quo orientalis quondam Imperii ſceptro admotus
LEO MARTIANI FILIUS.
Unde qui aliquem ſanguinis TUI rivum dimanâſſe putant,
non ſine Numine Divûm poſſunt augurari;
eodem denuo in mare redituro,
virorem juri ſuum, & florem ſpei fore
AD CORONAS ORIENTIS.
Atenim quo fato ab Oriente tùm, & Occidente
offuſa Serenitati TUÆ nubila?
quid ſibi voluêre & nebulæ, & pluviæ de cœlo
in ſplendoribus inaugurationis TUÆ?
Fauſta, ut ſpes perſuadet, omnia.
Aquæ prægnantibus excuſſæ nubibus
ad extinguenda, quæ graſſabantur, incendia venêre,
& irrigandam Imperii felicitatem.
Tempeſtas illa Martialis, & infeſta
per iridem in ſinu Tuo oriundam
prænunciare viſa eſt,
Phœbum poſt nubila Sereniorem.
Dies erat Jovis imitandi Regibus:
ut inter fulmina ſint, & ventos firmi,
in procella qualibet, ac turbine Sereni.
Talem verò etiam TE à Sole animatus Tuo præſtitiſti;
quando frementibus necquicquam inimicis,
eXorIebarIs Inter fortVnæ aDVerſæ nebVLas
qVasI ſteLLa MatVtIna.
Talem TE communicato gloriæ ſplendore major
dulciſſimæ exhibuiſti Patriæ;
quando inter gratioſa Serenitatis auctæ parelia
AVgVſta reDVX
VIennaM soLennI IntroItV reCreâſtI.
Hucúſque duodecimum ætatis annum egiſti, nec totùm exegiſti:
JOSEPHUM tamen & gratioſum in polymita,
& glorioſum in purpura,
adeò feliciter egiſti:
ut in plurimis magnâ laude ſis æmulatus;
in non paucis etiam ſupergreſſus.

Hic

Hic si etiamnum vivus in terris TE videret,
& sibi in TE, & TIBI in se gratularetur.
Certè si pugillo tanta comprehendisti,
quid facturus es integrâ & apertâ manu?
Exiguâ ætatis tenellæ periodo
magnam orbis partem circumscripsisti:
quoúsque se extendet integra vitæ sphæra?
Mirandum quid, & singulare!
Ruborem id eliciat æmulis, & inimicis:
candorem augeat & solatia candidè addictis:
juncto autem in RUBRO simul, & ALBO, quia Tuo,
Sortem spondeat secundam PRIMO
ad tanta favore Superûm elevato.
Prima annorum ne completorum quidem duodena
Regnorum TE duodenorum exhibet CAPUT:
& quidem tale Caput, quod capere possit unum plura,
quàm plura, quantumvis magna, ceperint.
Cùm autem una adeò recreet nos duodena;
complures TIBI in ætatem seram optantibus
quid dabit altera? tertia? quarta? quinta?
Boni Superi bona vota secundent!
Quidni autem secundent?
Quando secunda in omina concurrunt omnia;
quæ acceptissimum TE reddunt Superis,
quorum beneficio ea accepisti:
Origo, indoles, temperamentum, educatio,
insignia naturæ, gratiæque dona.
Hæc enim pleno quasi alveo exundant
in florentem primo vere virtutem.
Quæ ut est pupilla Superûm,
sic maximè est illis curæ, & in oculis.
Virtutum certè Regiarum duodena
ut quotidianum TIBI; & jucundissimum est spectaculum,
in AUGUSTISSIMO AUGUSTISSIMORUM PARENTUM vultu;
ita velut in speculo, & imagine relucet in TE:
qui & speculum, & imago es illorum viva.
Multorum illi tum domesticorum, tum extraneorum
præclarissima Regum ornamenta
ut animo ad summa nato sunt complexi;
sic in TE feliciter transfusa perficiunt;
perficiéntque magis & exemplo, & institutione.
Inde, ut videmus, reciprocis emicant radiis
clementia justitiæ illigata,
ingenuus animi candor in prudentiæ sinu requiescens,

ma-

magnificentia, modestiáque liberalitati sociatæ,
constantia fortitudinis, & magnanimitatis amplexibus innixa,
temperantia denique comes Religioni,
firmissimo & pulcherrimo inter se nexu.
Quo equidem, ut lucida solet area sidus,
illustri TE circulo ambire ambiunt,
& ambiunt:
ut choros in plausum ducturæ videantur.
Atque adeò ut annorum & regnorum, quâ flores,
duodenæ respondent,
velut pretiosi in Pontificia quondam veste lapilli:
ita sunt, & erunt, faventibus TIBI Superis,
in totidem coronas, annulos, & gemmas;
quarum ornatu conspicuus, & venerandus eris orbi,
pretiosus autem, gratiosúsque cœlo:
adeóque concurrentibus utrinque suffragiis,
in tempore, & æternitate gloriosus.
Jam verò cùm Paterna transieris in vestigia,
quis respondebit flori tam pulchro fructus?
quæ suis expressa coloribus figura iconismo?
Optatissima videtur omnia spondere cœli diphthera.
Quod videndum se nunc offert in speculo
perspicuis crystalli visceribus eruto;
incisum tùm apparebit adamanti, quàm pellucido, tam robusto:
quod modò emicat in umbra, opaca scilicet & amœna;
in sole radiabit quàm aperto, tam illustri:
quod in polymita fuit amabile, per picturas, & figuras;
spectabile fiet in paludamento virtute, & majestate exornato.
Suspicieris in sago ut CAROLUS;
qui, cùm quintus esset, quingentis plures commeritus est laudes:
in toga ut FERDINANDUS;
qui, cùm secundus esset, nulli secundus fuit:
compendio utrínque facto, ut LEOPOLDUS in utróque MAGNUS.
Gratulabuntur proinde TIBI, & sibi Regiones
sub gratiosa coronarum TUARUM umbra lætiores,
quia securiores, & feliciores;
inter mutuos olearum & laurorum amplexus,
eodem vectas essedo Victoriam, & Pacem:
& in gremio ambarum candido faventem vultu,
virtutique TUÆ publica spondentem vota Fortunam.
Venerabuntur TE in sinu Famæ præfulgentem,
in throno Gloriæ præpotentem,
in fastigio dicasteriorum summo consiliis eminentem.
Deprædicabunt amicis amabilem, terribilémque inimicis,

benignum tuis, benevolum alienis;
felicibus faventem, miseris miserentem,
egenis liberalem, bene meritis munificum,
errantibus clementem, rectè agentibus gratificantem,
omnibus æquum, & nulli non amandum,
quàm pium denique, tam charum Deo.
Hoc est, Josephum virtute non minùs Regiâ,
quàm felicitate, felicissimè accrescentem.
Atque ita demum Serenitate Tua ubique diffusâ,
dies illucescent omnibus amœni,
aureáque fluent sæcula.
Suavissima verò etiam virtutum Tuarum harmonia
plurimorum demulcebit, & lucrabitur affectus.
Et, ne qua desit, vel inter nemora, ac rupes Echo;
festIVa Inter gaVDIa, VotáqVe fortVnata
CantabIt oMnIs popVLVs
affectum Tibi syncerè devotorum secuturus:
VIVat reX IosephVs DIes Canos:
VIgeat, fLoreat, trIVMphet.



AP-

APPLAUSUS DITHYRAMBICUS.

AD arma Musæ! ad arma!
Arma diserto vibrata Laso,
Arma canoris inscripta notis,
Arma facetis grata Poëtis.
Aptate chordas, corda dum spirant melos:
Animate plectris barbita:
Sociate linguis organa.
Quidquid sonantûm suave modulorũ domi est,
Festiva promant cantica
In fausta mentis omina,
Et gratiæ choragia.
Tu quoqúe Cohortis Rector Ascrææ
Frontem serena Delie:
Spumásque torvi luctificas Noti
Depelle Pindo.
Tota favoniis
Dulci per auras rore madentibus
Mansuescat inter aureæ sortis favos
Bicóllis Aula verticis:
Reciprocúmque vocis Echo
Nectar propinet Æthræ;
Aut melleorum Daulias
Sit lingua gaudiorum.
Cernis, ut auricomis MAJESTAS vecta quadrigis
Undiqúe fulgores dispergat, & inter honores
Augustam geminet diem?
Diem venusto floridam vultu!
Quæ per amœnam Chloridos Aulam
Vernet sidereo rigata rore;
Et niveo signata lapillo
Non nisi seros terminet annos:
Dum melioris sit caput ævi.
Scilicet AUSTRIADUM felix AURORA secundum
Invexit SOLEM cœlo; terrísque Serenos
Affudit radios, & geminum tuo
Sorte favente jubar.
Viden', ut roseo floridus ore

PRINCEPS amœno de Charitum ſinu
Aſcendat, nitido gloriæ in eſſedo
Dignus ad aſtra vehi?
Hic eſt millenis unus digniſſimus Argis
JOSEPHUS Argus Imperî.
Quem ſceptris genitum ſceptra capeſſere
Voluêre ſortis ARBITRI;
Dum prima floret ætas,
Congenitúſque decor.
Hic, velut PRINCEPS VETERIS CANOPI
Gratiâ fratres ſuperavit omnes,
Quando præſtanti radians amictu
Mente virtutem niveâ fovebat;
Inter juvenes eminet UNUS.
Per arva quale floridos inter patres,
Majale veris quando concilium ſedet,
Stat altiore vertice,
Frontémque Phœbes æmulam,
Ceû lacteam propinat
Lilium caſti ſoboles amoris.
Huic alma virtus intimis hæret fibris,
Et ſumma quæque ſpondet,
Favente cœli gratia:
Quando AUSTRIACÆ nidulo ALAUDÆ
Inſidens, pullos ſociare pullis
Gaudet, & junctis animare pennis.
Ut prævolantem per Jovis atria
Sequantur Aquilam, & alitum ducant chorum
Ad ſuperna ſe levantem;
Odáſque lætas intonent.
Quod virtus voluit, præſtitit indoles,
Et auſpicato ſidere
Præmia ſueta tulit.
Dum vox ALAUDÆ ſuavis in aëra
Sua mella ſparſit;
Labitur ex alto celeri Jovis Armiger alâ,
Et nido ſe immittit ALAUDÆ,
Unanimémque fovet.
Jam ſtipate ſacris Phœbe Sororibus,
Cortinas aperi: & quæ tibi Diphthera
Summi Tonantis credidit,
Arcana pande.
Et ecce Numen annuit,
Nec vano tumidi, ludimur omine!

Dum

Dum responsa parat Pieridûm Domus,
AUSTRIACÆque favet.
Jam sacra panduntur bifidi penetralia montis:
Præsagi cæco Tripodes versantur in antro: &
Auribus arcanos immurmurat aura susurros,
Fatidicúmque melos:
PRINCEPS AUSTRIACI GLORIA SANGUINIS,
Præstans ingenio, moribus, indole,
Integer vitæ, scelerísque purus,
Flore virtutum viridi decorus,
Clara MAJORUM generosus acta
Grandi laude sequetur.
Huic & eburnas Fama curules
Apparat almæ Sortis in Aula:
Unde per extremas Europæ devehat oras,
Laudésque vulget orbi.
Huic palmas, Laurósque suis Victoria in hortis
Ingenti plantat numero, veterésque corollas
Illigat arte novâ, caput armatura coruscum.
Jámque per umbrosas designat grandia colles
Robora cum fagis, ulmísque virentibus; unde
Brachia decusset non servitura trophæis,
Quæ statuenda videt.
Interea plures acuit sibi Marspiter enses,
Cúmque globis tormenta parat, queîs fulminet hostes,
Et fausto possit sonitu memorare triumphos.
Sed & Pax placidis vecta jugalibus
Hortos Hesperidum lustrat, & atria
Formosæ Zephyritidos.
Ut cùm sub umbra Pieriæ arboris
Ornata prædis arma quieverint;
Arrideant victoribus
Festiva florum gaudia.
Hæc ubi dicta dedit, diffinditur intima rupes
Parnassi, & firmant voces ostenta faventes.
Undarum Domitor, quâ sua Bosporus
Thracum Metropoli brachia porrigit,
Vectus albicante conchâ
Per quieti terga Ponti
Visitabat littora.
Hippocampis insidentes
Ister, Hebrus, Nessus, Arsus,
Et Sodales his propinqui
Ponè Patrem cinxerant.

 Cùm

Cùm subitò GENIUS RUBRIS vestitus & ALBIS,
Gemmatámque CRUCEM vibrans,
Quâ Savum complectitur Ister,
Nicopolímque vehit,
Se patulo demittit Olympo,
Augustâque in luce refulget.
Atque ubi Tauruni super arcem
Ter geminos pennâ signâsset in æthere gyros,
Mœnia Byzanti plaudentibus involat alis;
Ac summæ fastigia turris,
Quà celeberrima visitur ædes,
Ter circumvolitans, affixæ cornua Lunæ
Dejicit in terram, substituítque CRUCEM.
Cærulei stupuêre Patres.
At postquam exposuit Summi decreta Tonantis
Jupiter æquoreus, mox toti in gaudia versi
Exiliunt, plaudunt, & lætis vocibus implent
Auroræ Thetidísque domos.
Nec mora: Pannoniæ residens in montibus Echo
Audiit, & variis geminans responsa figuris
Excivit patrias festiva in cantica Nymphas,
Mœnaliósque Deos.
Læto cum sociis exiliunt pede, &
Juncto choreis jubilo,
Grandi pulsant rura cothurno.
Plenâ etiam Cereri buccâ corridet Jacchus,
Rhamnusiæque cornu
Ambo beantes copiâ
Dant sua nexis munera dextris.
Tùm rima patuit tenuis ad sacri sacra
viscera montis:
Ostendítque AQUILÆ PULLUM, qui cum SENIORE
Sacræ virentis insidens lauri comæ
Prata circum liliata
Clangore læto personat,
Dona pérque odora Floræ
Se volando recreat.
Jam plura videre vetabant,
Plurima, quæ circum sese ostendêre trophæa
Claris decora manubiis,
Inter Nycteridum probra volantium.
Ast & cum plausu siluêre oracula; quando
Mœonides pleno concinuêre choro:
Io secundis perge volucribus

INSIGNE GERMEN AUSTRIÆ!
Perge, perge GEMMA MUNDI,
Perge SIDUS IMPERI.
Roſtra ſcande, vela pande,
Flantibus Favoniis,
Per decoræ fluſtra Floræ
In favorum patriam.
Scande clivum fronde vivum,
Quam mereris, laureâ:
Scande bellis alta ſtellis
Sorte vectus aureâ.
Quò tua TE Fortuna vocat: quò gratia Summi
Numinis alma præit, ſequiturq; DOMESTICA VIRTUS:
AD AVITI CULMEN HONORIS.
Quò TIBI MAJORUM callem veſtigia monſtrant,
Quos Hyperionios ultra, nitidæqúe meatus
Dictynnæ, ad Superos virtus auriga Penates
Vexit, & æthereos juſſit ſupplere pyropos.
His ducibus gradere, & ſeros ſervatus in annos
Paterna fauſto ſceptra concurſu tenens
Solare terras Imperî.
Perge felix laureato,
Candidóque Sidere:
Perge greſſu glorioſo
Colligens adoreas.
Quas amicæ Gratiæ,
Quas paravit indoles,
Stirpsqúe, DOMUSqúe TIBI.
In TE Minervæ germina frondeant,
Et centumgeminis ditia frugibus
Heſperii ſuperent viridaria mali.
In TE vireta Patriæ
Felicitatis aureo
Flore niteſcant.
In TE ſacra Themis
Pietáſque ſuam ſecura ſerat
Fidémque, ſpémque, nullis
Præcipitanda dolis.
Vive læto ſemper axe:
Vive ſæcla Neſtoris.
Melle pota, lacte lota
Sors favore nutriat:
Ut SECUNDET, ac abundet
Gratiarum copia.

Quæ

Quæ Te Paternis dotibus demum parem
Et beatum, & gloriosum
Mille inauret laudibus.
Dum tandem meliore sorte raptum
Hisce castris, reddat astris
Culta puro corde Virtus,
Accinente Gratia.
Divûmque ad subsellia Regum
Stellatis vectura quadrigis
Clarum perpetuis ornet honoribus;
Et cum fausto Superûm plausu
Regno refulgentem beato
Æternâ decoret coronâ.

F I N I S

prInCIpIVM sIt sIne fIne
aD noVas
In fVtVra faVsta
gratVLatIones.